




Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RELATIO COLLOQVII FRANCOFVRTENSIS

PROXIMIS AVTVMNALIBVS NVNDINIS ANNI M. DC. IX.

INTER NONNVLLOS CALVINIANAE RELIGIONIS MINISTROS,

ET R. P. COSMAM MORRELLES SS. THEOLOG. DOCTOREM, ET IN VNIVERSITATE Coloniensi Professorem, Studijque Conuentus Fratrum Prædicatorum Regentem, habiti.

Ab ipso Catholico collocutore conscripta.

PERMISSV SVPERIORVM.





COLONIAE AGRIPPINAE,

Excudebat Stephanus Hemmerden.

ANNO M. DC. X.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVEREND.MO ET ILLVST.MO PRINCIPI AC DOMINO, D. IVLIO *Episcopo Herbipolensi, Franciæ Orientalis Duci. &c.*


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



CVM ij qui Rebuspubl. humanæque ſocietati præſunt & proſunt, ob maieſtatem, poteſtatiſque amplitudinē, virtutes, & cętera tum animi tum fortunæ bona, Dij terreſtres in ſacrorum Bibliorum voluminibus nuncupentur; noſque Dijs, ſi quæ in poteſtate noſtra ſunt, magis elaborata dedicare conſueuerimus, T. I. C. hunc meum qualemcunq; laborem dedicare decreui; Cum T. I. C. huic mortalium Deorum numero cum immortali tamen laude & gloria (viuit enim poſt funera virtus) videam eſſe aſſcriptam, & non duntaxat aſſcriptam, verùm etiam ex hac altiſſima diuorum ſede plurima in bonū Chriſtianæ Reipub. bona, tum res negotiaq; Eccleſiæ promouendo & defendendo, tum maleſanorum hæreticorum in ipſam Eccleſiam inſultus & conatus auertendo & perfringendo, cum ſum-

ſummo penè omnium Romani imperij Incolarum & ciuium gaudio & gratulatione diffundere & communicare.

Verùm exigua licet hæc & indigna videatur quæ ad T.I.C. (tāti numinis) aram à me immoletur victima, tamen ſpero, vt qua beneuolentia me amplexatur incognitum & immeritum, eadem quoque huncce meum immaturum quidem & impolitum, à multis tamen expectatū & expetitum fœtum, ſuſcipiat, foueat & illuſtriſſimi nominis ſplendido ſplendore clementer tueatur. Erit enim vt euentus docebit, tanquam ſignum ad ſagittam, cum plurimi aduerſariorum in ipſum ſua tela & ſpicula conuertent: Sed quemadmodum fures citiùs à dedicatis atque ſacris, quam à profanis rebus manum abſtinent, ſic obtrectatores & veritatis in opuſculo hoc declaratæ, oſores, linguas ſuas magis coërcebunt, cùm viderint hāc lucubrationem tanquam votiuam tabellam ad T.I.C. aram ſuſpenſam, eiuſdemque I.C. illuſtriſſimo nomini conſecratā. Accipe ergò Princeps Illuſtriſſime, Antiſtes Religioſiſſime hæc thuris, quod adoléo, paucula grana (pauperis enim me oblatione redi-

ne redimo) nempe Relationem veram nuperæ illius disceptationis inter Caluinianos & me Francofurti T.I.C. Theologo præsente, institutam & habitam, vnà cùm controuersia illa hisce temporibus exulceratissimis scitu dignissima & necessaria, De valore operum humanorum apud Deum, quam in gratiam omniũ nostri temporis hæreticorum, maximè verò Caluinianorum, ex principijs deduxi, deductã huic relationi subieci, vt sic viua voce hac de re incepta solum disputatio, calamo perficeretur & compleretur. Deus Opt. Max. T.I.C. Herbipolensi Ecclesiæ, nostroque Prædicatorum ordini diutissimè incolumem seruet. Coloniæ, Ex Prædicatorum Conuentu ipsis Calend. Aprilis.

Reuerendiss. & Illustriss. Cels. T.

obsequentiss. & humilis seruus

Fr. COSMAS MORRELLES
Ord. Prædicatorum.

AD LECTOREM.



Hristiane Lector. Priusquam ad hanc perlegendã Colloquij Francofurtensis inter Caluinianæ sectæ professores, & me Catholicum habiti relationem accedas, de nõnullis capitibus te admonitum oportet.

Primum est: Non sine causa in lucem emitti hanc relationem, cũ multa sint quæ ad hoc me impulerint.

Nam inprimis cum recta ratio doceat ac suadeat, ea non reticenda esse quæ ad plurimorũ possunt facere commodũ & emolumentũ, præsertim quæ ipsam animarum salutẽ promouere possunt, vel eas in recta fide confirmando, vel ab hæresi ad verã Religionem perducendo: Cum ergò hoc Colloquium ideo à nobis institutum fuerit, vt veræ fidei veritas emergeret (quæ via est ad animarum vitam, error autem ad mortem) certè illud ipsum supprimendum non est, cũ & in ipso Catholicæ fidei dogmata etiam ab ipsis aduersarijs, licet inuitè, sint confessa & manifestata.

Deinde, cũ fama huius habitæ disceptationis ad varia loca (quotquot enim aliunde ad nundinas aduenerant, huius rei omnes penè conscij, ad suas secum hunc rumorem aduexerunt oras) volarit, factum est vt multi rem gestam cognoscendi euaderent cupidißimi; quã ob rem & ad me, variæ varijs ex locis, & à diuersis missæ sunt epistolæ, quibus precibus, & alijs quibusdam quasi stimulis exigitur, vt hanc honestam illorum cupiditatem expleam, eosq́; vt se res habuerit, certiores reddam. Verùm cum multis ordinarijs lectionibus & studijs occupatißimus, vnicuiq; satisfacere rei gestæ trãsmittendo copiam pro voto non possem, ad editionem confugere sum compulsus, ab alijs etiam ad hoc instigatus.

Tandẽ vt multorũ & sermone & literis ad me perfertur, ab aduersæ partis fautoribus aliter quã se negotium habuerit, venditur: Multa nãq; à multis miscentur, quæ vtriusq; partis collocutoribus fortè in mentem nõ venerunt. Neq; etiã calumniæ & obtrectationes maleuolorũ, quibus me carpant & rodant desunt. Sed huius nomine nõ accuso D D. Ministros aduersæ partis collocutores, cũ ipsos pro sua prudentia & singulari modestia eò vsq; descendere mihi nõ

persua-

persuadeam: Verum auditores nonnulli, imò etiam quidam qui rei gestæ non interfuerunt, hac de re suspecti habentur.

Alterum quod te scire volo est: quædam hic posita esse, quæ tibi fortè minoris momenti & superflua videbūtur. Sed si omnia à nascente Ecclesia hucusq;, siue in Concilijs, siue extra Concilia, de rebus fidei habita colloquia, & literis consignata intuearis, reperies nihil eorum esse omissum, quātumuis licet fuerit exiguum, quæ in ijs vel dicta vel gesta sunt: Vnde & huc spectatum admissus risum aliquando teneas Amice, si fortè tum digressiones nonnullas remotiores ab instituto quidem, tamen non inutiles videas, tum sententias & voces offendas inter colloquēdum aut iocosè aut feruore quodam animi pronunciatas, hic positas.

Tertium est: Cum verisimile sit D D. Ministros, cū ad eorū manus hæc peruenerint, in eis q; ea viderint descripta, quæ ad suā propugnandam sectā & Apostatæ motiua defendenda protulerunt, ea non vt gesta sunt hic enarrata esse (quod tamen non credo) & calamo & lingua esse dispersuros. Ideò te præmonitum volo, ne iacula illa improuisa te feriant, huc nihil quod veritati rei gestæ aduersetur esse relatum. Si fortè in quibusdam minutis & accidentarijs, suis vnamquodque non depingam lineamentis, tamen vbiq; corpus integrum, ipsamq; rei substantiam, quantum memoria suggessit, exhibeo. Notarij enim præsentes non interfuêre, qui singula quæ & dicebantur & gerebantur annotassent, & ex quorum scriptis depromi iā posset rei gestæ series & veritas, atq; inter disputandū non solum ad Auditores, verum etiam ad protocollum appellare licuisset, vt iam in solemnioribus de Religione colloquijs obseruatur, quare consultum mihi videtur, vt in similibus colloquijs Notariorum adhibeatur opera.

Quartum. Vbi ad legendum accedis Epistolas, meatum styli simplicitate non mouearis: Scholasticus enim est & concisus, qui vsitatis in scholis terminis breuiter multa complectitur & explicat. Potuissē quidem adhibere ornatius quoddam orationis genus, sed familiare epistolæ requirunt, locusq; in quo ipsas scribebā, erat officina cuiusdā honorati Mercatoris, in foro Mercatorū, vulgò Bursa dicto

sa dicto sita, ubi ob tumultum præmeditatè omnia in chartam coniÿcere non concedebatur.

Quintum: Res quæ tractata sunt in vtraq; disputatione, tibi fortè prima fronte parua admodum videbuntur, sed quid in recessu lateat perscrutare. Videbis enim quo vsque veritas licet in exiguis, errorem pellat, & ad quas eundem redigat angustias. Verùm si quibusdam solidioribus & fortè à te desideratis pascere mentem tuam velis, in alteram opusculi huius partem oculos coniÿce, vbi præter eorum, quæ ad hanc disputationem adhuc pertinent, latiorem explicationem, etiam cæteris Transfugæ motiuis, quibus se à nostra Religione vt deficeret adductum publicè in abiuratorio suo sermone fassus est, satisfiet, & veritatem errori præualere ostendemus.

Sextum deniq;: Ne offendaris quod Apostatam, qui causã & occasionem huic disputationi præbuit, Capuccinum nominem. Nã maluissem, alio vti nomine, si mihi aliud, & ÿs ad quos hæc perueniẽt, fuisset notius, ob Reuerentiam tanti ordinis; tamen quia in Francofurtensibus nundinis, ad quas ex toto orbe homines confluũt, hæc res est gesta, idcircò citò eius fama ad quæuis loca, etiam remotissima, peruasit, ita vt iam antequam de editione cogitarem, Capuccini Apostasia, à Catholica fide, & religioso instituto, omnium quasi fabula, ab omnibus decantaretur.

Quare, Christiane lector, ne me huius lapsus buccinatorem & præconem primũ (quid tegere & cooperire huiuscemodi mala malo quam patefacere) existimes; nec me Religiosum, tam Sanctæ Capuccinorum Religioni, huius Apostatæ factum, exprobrare, cum inuitè eum Capuccinum appello, puta; dicitur enim & lucifer adhuc lucifer, cum luce exturbatus, non lucem sed noctem inhabitet & ferat; neq; tamen Patri luminum, aut luci, aut ÿs quibus beata lux orta est, quicquam derogat. Hæc sunt quæ te præscire volui pie lector, ad cætera perge.

Viue & Vale.

RELATIO COLLOQVII.

CAPVT I.

In quo ea quæ huic Colloquio ansam & occasionem præbuerunt in Ciuitate Hanouiensi recensentur.



OSTEAQVAM mihi Francofurti in celeberrimo totius Europæ emporio, præterita Sabbathi, quæ erat ſtylo veteri 17. nouo 27. Menſis Septemb. in publico foro, de publico & ſolemni quodam non forenſi, ſed Eccleſiaſtico actu (nimirum de Apoſtaſia, abiuratione & defectione cuiuſdam Catholici ad Caluiniſticas partes) poſtridie in Ciuitate Hanouienſi, non procul à Francofurtenſi ſita, celebrando, denunciatum eſt: quæ mihi tunc mens, quis animus fuerit, quid ratio, quidque ſpiritus ſuggeſſerit & dictârit, quiuis Catholicorum, maximè verò is, cui ex vocatione & profeſſione proximorum cura concredita eſt, cuique commiſſum, vt ſupra candelabrum Cathedræ conſtitutus luceat, ouesque errantes ad viam reducat, ſi ſimilis dolendi caſus ad eius aures peruenirent, facillimè poterit perſpicere atque colligere, præſertim ſi eadem quæ & hic loci, temporis, & perſonarum circumſtantiæ concurrant, quæ non exiguum aliquod ad paruipendendum, ſed ingens & quaſi irrecuperabile damnum, inſanabileque vulnus Eccleſiæ, Chriſti corpori, inferre & infligere (niſi præuiſo malo maturè occurratur) poſſent.

Ecce enim iam cum vniuerſo penè Chriſtiano orbe ad Nundinas Francofurtenſes nullo non mundi angulo cognitas, omnis generis ſtatus & conditionis homines, partim pro aduehendis & permutandis, partim pro euehendis mercibus confluunt; ipſe quoque hominum animarumque prædo & venator Diabolus,

bolus, (cum semper eius, vt in prouerbio est, inescatus pendeat hamus, occasionesque tanquam Leo rugiens deuorandi captet, cum vt apud Iob de se fatetur vniuersum perambulet orbem) ne & suo hisce nundinis careret commodo & lucro, suas quoque ad rem & negotiationem infernalem augendam & amplificandam merces aduehit.

Cap. 1

Catholicũ enim quendã Religiosum è Capuccinorũ Ordine, suo astu & versutia extractũ, si nõ Francofurtũ, suis iam corporalibus externisq; negotiationibus satis occupatũ, saltẽ in vicinã vrbẽ Hanouiã à prædictis curis liberiorẽ & magis vacuã, suis interim machinationibus aptissimã, (nõ vt Deus quondã Ionã ad Niniuitas, non vt Angelus olim Philippum ad eunuchũ Reginæ Candacis, neq; vt Christus Ananiam ad Saulum) adducit, atque instar assi lardi huic muscipulæ affigit, vt eius nidore percepto plures in suam nassam glires (sed non tota dormientes hyeme) alliceret atque pertraheret.

Ionæ 1. & 3. Actor. 8. Act. 9.

Hic igitur Capuccinus (hoc nomine vtor licet ad indignũ appellandũ, cũ propriũ ignorẽ; neq; enim ob id sacro Ordini infamiæ nota inuritur, cũ nõ sit dedecus Angelorũ Ordinibus luciferi casus, nec Apostolico collegio Iudæ apostasia, nec Diaconorũ dignitati & officio lapsus Nicolai) Hanouiã aduenients, è vestigio mentẽ votumq; aperit, de abnegãda abiurandaq; auita Catholica & Romana Religione, & amplexanda Caluinistica nuper confecta secta. Dies negotio huic statuitur supradictus, locusque in eadem Hanouiensi ciuitate deputatur, scilicet Ecclesia Caluinistica Nationis Gallicæ.

1. Isa. 14. Matth. 26. Apocal. 2.

Interim dũ dies (cui aliquãdo trãsfuga, sed serius, ni resipiscat, maledicet) auidè ab vrbanis Hanouiensibus expectaretur, ingẽti perfusi gaudio, Caluinisticæ factionis cõfœderati cõmilitones, sibi inuicẽ suęq; Ecclesiæ de tãto per hũc suis rebus futuro accessu & augmento plurimũ gratulabãtur, & alios eiusdẽ, quos hoc negotiũ latebat, certiores faciebãt, vt suis præsentijs hunc tantũ actum cõdecorarent. Ex quib⁹ tot Caluinistarũ hac de re colloquijs, publicis priuatisq; sermocinationib⁹ factũ est vt ea res diuulga-

uulgaretur,atq; etiam ipsis Catholicis patefieret,quorũ nõnulli Christi Ecclesiæ, animæq; miserrimi trãsfugæ cõsulere volẽtes, in foro Frãcofurtensi, mihi idipsũ dũ referunt,magno sane animi dolore perculsus, mecũ nonnihil perpendo, quis obex obijci, quodq; obstaculũ interponi cõmodè posset, quo minus hæc incepta in multorũ perniciẽ tragœdia, luctuosum, quem solet, sortiretur exitum. Augebat hũc animi mei cruciatum maximi Ecclesiæ damni,quod ipsi impendebat, timor. Illi enim Nundinarũ tunc vertebantur dies, quibus maxima & copiosissima populi concurrere solet frequentia. Tandem iam concepto mente, quodam nouo & singulari quadam industria à me fabricato, pio tamen stratagemate, ad Hanouiensium vrbem me conferre statuo: cætera minutiora quæ pro loci temporis negotij & personarum occasione facienda & præstanda fuerint, ibi consideranda & ordinanda distuli.

Quamprimum igitur illa dies illuxit, tanto obfuscanda & obnubilanda facinore ad iter me summo mane accingo, atq; rhedã vna cum nõnullis Coloniensibus spectabilibus honestisq; ciuibus, cõscendo, sed nõ fausto bonoq; vt experti sumus omine. Nam impediẽte maligno, vt suspicor spiritu cursum, iter institutũ abrumpere cogebamur, ex rheda igitur descẽdimus. Sed ecce dum recta ad nostrorũ Conuentũ tenderẽ, inopinatè aliam rhedã(quod diuinæ ascribo prouidentiæ)aduẽtare video, quam ad hoc idẽ iter conficiendũ nonnulli mercatores Antuerpienses, tanti sceleris detestandi & supprimendi potius quã promouendi gratia, cum essent Catholicissimi, cõduxerant & occuparant, quo etiam pro singulari sua in me beneuolẽtia, dum eiusdẽ me itineris comitẽ assererẽ, vt vna cũ ipsis cõsidêrem amicè inuitarunt, atq; ita tandẽ Hanouicis appropinquamus, sed serius aliquantulum quã sperauerã, portis. Nam nõ omnia & singula ex animi sententia, suum quem constitueram poterant sortiri exitum. Vniuersa enim fere Hanouiensium colluuies in prædictam Gallicæ Nationis confluxerant Ecclesiam. Quam dum & ego ingrederer, paulò ante conscenderat cathedram Clemens

 Boẽsius,

Boësius, eiusdem Ecclesiæ Gallicæ Nationis præfectus Minister: Exorditurque concionem tali filo contextam, atque adeò elaboratam, verborum sententiarumque flosculis adornatam, tali quoque comitante vocis modulatione, corporis membrorumque tam decenti gestu & agitatione (Demosthenem gallicum dixisses) vt nos & omnes qui aliundè aduenerant, in sui admirationem, cum ætate non esset prouectus, raperet.

Oratione iam ad horæ spatium producta, perorat. In hoc autem epilogo, summam diuini numinis cœpit euehere & commendare misericordiam, eamque multis aliundè petitis exemplis, & generalibus quibusdam adductis argumentis illustrabat. Tandem etiam præsens hoc & singulare Dei, vt aiebat, beneficium (dæmonis veneficium) plenis, vt dicitur, buccis crepando subiunxit, & arrectis purgatisque iam nudius tertius ad id auidissimorum Caluinistarum auribus infudit. Videlicet, aduenisse quendam Monachum, Capuccinum, qui diuina misericordia eousque esset perductus, vt constituerit præsenti hora & loco, omnibus spectantibus, & audientibus abiurare Romanam & Pontificiam religionem, & sese huic nostræ, vt aiebat, Reformatæ adiungere Ecclesiæ.

Quibus dictis, ad Transfugam se conuertit, eumque his ferè verbis est allocutus.

Prodi, ergo, in medium; & quæ mente concepisti, diuini spiritus instinctu; verba eloquere, &c.

His & similibus prolatis; Ecce transfuga horrendum infandumque abiurationis scelus admissurus, è plebe quasi emergens eminentiorem & magis eleuatum, vt mihi videbatur, pauimenti gradum, quo commodius ab omnibus & conspiceretur & audiretur (permanente interim in sua statione & Cathedra Clemente Boësio Ministro) occupat, atque ex eo tanquam thoro est exorsus fari ab alto, rationemque reddere, cur ad Hanouiensem vsque esset profectus vrbem, quæ tantorum laborum exantlatorum periculorumque, quæ subijt causa, & quamobrem in hac ipsa Ecclesia ipse ad dicendum

cendum in medium prodiret. Et primo quidem in omnium quotquot aderant cordibus & animis, nouum quoddam & insolitum excitare gaudium annitebatur: si enim, inquit, gaudendum cum gaudentibus, certè & mecum vos iam gaudere conuenit, cum ego, in quem omnes ora oculosque conuertitis, vix proferre quæ eloquor verba præ gaudio possim.

Deinde communem totius Ecclesię reformatæ poscebat gratiarum actionem, quod Deus ipsum ex tantis tenebris Papisticarum superstitionum ad claram lucem veri euangelij, ex seruitute illa durissima Pontificia, quasi Babylonica; ad Ecclesiæ libertatem, ex errorum labyrintho ad veritatis asylum dignatus sit perducere: simulque omnium exigebat preces, pro sua iam in noua suscepta fide constantia impetranda. Postremò rationes causasque proposuit & exposuit; quæ ipsi calcar stimulumque addiderint, vt Catholica religione deserta, & tam sancto Capuccinorum instituto derelicto, nouam Caluinianorum sectam amplexaretur; vt hac ratione suspicionem quam de se ipso oriri posse suspicabatur; ex animis omniū eximeret & tolleret: Nimirum quod non satis ponderosa de causa; sed leui aliquo (vt quidam qui à quouis circumferuntur vento) ad id impulsus videretur spiritu, aut aliqua turbida animi perturbatione, & minus honesto affectu (quod tamen verisimile) adductus: verùm potius hinc omnes Reformatæ Ecclesiæ asseclæ clarè perspicerent & intelligerent, ipsum matura adhibita deliberatione; rebusque omnibus & singulis (quod prudentis & animæ salutem curantis est) & Catholicorum & Caluinianorum ad æquilibrium ponderatis & perpensis, quid sibi hoc in biuio faciēdum esset sano iudicio decreuisse.

Motiua autem sua ferè omnia, ad duo quasi summa Capita deducebat, hac nempe ratione, vt diceret se à Pontificia religione, infinitis eiusdem, ijs præsertim in rebus quæ animæ salutem concernunt, vt sunt fidei morumque doctrina, erroribus, cumque ipso luculentissimo sacræ scripturæ verbo pugnantibus opinionibus & sententijs terreri: Ad Caluinianismum autem al-

lici ipſa quam Caluiniani profitentur veritate ſolida & perſpicua,& cum diuino verbo concordantibus illorum,& ne in minimo quidem diſcrepãtibus ſententijs docebat. Statimque quã plurimos errores Pontificiæ Eccleſiæ ſe quidem recenſere paratũ,ſed ne vſque ad nauſeam auditores detinerentur,& à negotijs perficiundis impedirentur, ſolùm eos qui vt celebriores ita etiam maioris momenti & difficultatis eſſent propoſiturum,illorumque cum ſcriptura, ipſaque diuina mente, pugnantiam demonſtraturum pollicebatur. Inter quos(ni me fallat memoria)enumerabãtur, & hi videlicet de Iuſtificatione impij,de tremendo Miſſæ ſacrificio,de reali Chriſti Domini in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento præſentia, de ſummo Romanorum Pontifice, & Capite Eccleſiæ; de bonorum operum valore. Quorum articulorum ſingulos ita poſtmodum interpraetari eſt aggreſſus, vt partim Catholicorum doctorum attingeret mentem, partim ab eorumdem declinaret ſententia (ne fortè confeſſa & patefacta à ſe veritate ipſe ſe iugulaſſet) atque adeo certè à Catholicis aberrabat doctrinis,vt talia etiam delyramẽta proferret(an ſtudio & malitia,an verò ex ignorãtia factum, ambiguum eſt)nobiſque affingeret quæ nec vllus Romanæ Eccleſiæ addictus ſomniaſſet.

Hac igitur recenſitorum articulorum aliorumque nonnullorum claudicante interpretatione abſoluta, tanquam iam aditis patefactis,ſuas cæpit machinas & tormenta producere; & rotundos ſyllogiſmorum globos in eoſdem explodere & iacere;quos quidem ſyllogyſmos (licet non aperta forma veſtitos, ſed orationis artificio inuolutos)ipſe miræ fortitudinis arbitrabatur, cum tamen vulgares eſſent, illorũque ſolutiones omnibus fere etiam rudioribus Catholicis obuiæ. Quod cum & ipſe ſua ſagacitate ſubodoratus eſſet;hoſce nimirum argumẽtationum imbecilles arietes infecta re reſilire, & Catholicorum induſtria facile retũdi,etiã ſolutiones,vt veniẽti quaſi occurreret morbo,quæ ad huiuſmodi Caluinianorũ obiectiones à Catholicis ſolẽt dari,in medium prolatas, cæpit infringere validiſſimis

mis quidē & robustissimis (vt sibi persuadebat) syllogismis, sed meris paralogismis: Porrò, postquam oratio hæc & disceptatio ad horæ penè spatium durasset, iamque fini pedetentim appropinquaret, ex dictis articulis, eo quo ostendimus modo refutatis, hanc tamquam fatalem & necessariam deduxit deriuauitq; conclusionem, & tanta qua potuit verborum acrimonia & stili grauitate protulit, videlicet: Cuilibet ad perpetuam animæ suæ salutem aspiranti Romanam Ecclesiã, diabolicis illusam fraudibus, humanis onustam traditionibus, impijs redundantē superstitionibus, varijs grauibusque immersam erroribus, fœdatam vitijs, esse deserendam, abominandam, abiurandam, & remis & velis fugiendam, quemadmodum ipse eandem iam præsenti loco & tempore; solius benefici Dei ope, gratia, & singulari dono deserit execratur atque abiurat. Inde ad Deum conuersus, eum supplici quasi prece inuocat, populumque compellans obtestatur, vt simul ad Deum orationes fundãt, quatenus in noua iam suscepta fide roboretur, & indies magis ac magis in cognitione Caluinisticæ veritatis proficiat. Tandem gratias toti auditorio Caluiniano agens, memorem gratumque, pro tanto sibi collato beneficio, scilicet ad Caluini Ecclesiam admissione, animum spondet. Atque hic loqui destitit.

CAPVT II.

Quod, qua ratione ex dicta occasione data propius ad colloquium in eadem Hanouiensi ciuitate, ventum sit, docet.

FACTO iam à declamationibus silentio, populoque ad concedendum domum se comparante, nihil profectò mihi tunc magis in votis erat, quam vt paucissimis verbis leuissimi hominis temeritatem & audaciam reprimerem, idq; præsẽtibus ijs omnibus coram quibus ipse suū virus aduersus Eccle-

siam

ſiam Catholicam,fidem religionemque antiquam abiurando euomuerat,vt hac ratione, quotquot aderant animaduertiſſent,aniles prorſus & pueriles eſſe fabulas,quas ipſe ſuæ defectionis grauiſſima aſſerebat eſſe motiua;atque aliam quandam apoſtaſiæ ſuæ cauſam,quam ipſe dictis motiuis tanquam pallio & fuco tectam,pectorique incluſam ſubprimebat,declaraſſem. Et licet iam prompta,parataque verba linguæ inſiderent, quibus in Apoſtaſiam eiusque abominandum facinus inuehi potuiſſem,tamen me motusque comprimebam, habita ratione publici illius in quo verſabamur loci,populique Caluiniſtici iã duabus concionibus, vna Domini Clementis;altera Apoſtatæ, defatigati:& quia præuidebam fore, vt omnia vulgi murmure intempeſtiuisque clamoribus interpellando & confundendo impedirẽtur,atque ita imperfecto negotio inſtitutum ſine fructu,abrumperetur. Verum quamuis aliquam à memet ibi vim ſilendo paterer,tamen omnino tacere,cum è re Catholicæ Eccleſiæ non eſſet,imò obeſſet,me Catholicum non decebat:cum generoſi militis ſit quouis tempore & loco pro ſui regis & regni incolumitate & ſalute.ſi in diſcrimen vocetur aut veniat,animoſè & pro viribus decertare. Quare Dei Eccleſiæque negotio in me ſuſcepto,excluſoque omni inutili timore,quem mala & incommoda eiuſmodi actus, concomitantia & ſubſequẽtia, incutere conſueuerunt. Curandum video, vt quandoquidem publicè non licebat,ſaltem priuatim cum apoſtata mihi colloqui, & de prædictis motiuis ſuis inter nos conferre cõcederetur.

Qua propter D.Clemens conueniendus mihi præ reliquis erat:hic enim patronus quaſi & Catechiſtes huius eſſe videbatur apoſtatæ.Eum ergo tum in propria perſona, tum etiã per mercatorem quendam Colonienſem, vt citius & facilius res obtineretur conuenio,præmiſſisque præmittendis (ſalutatione nimirum, & debita reuerentia, obſequiorumque oblatione) hac de re alloquor;eique quod cum apoſtata illo qui iam iàm abiurauit fidem,cuperem de eadem fide,à qua defecit,& de motiuis

tiuis quæ ad hoc ipsum impulerunt, amice colloqui significo; causam quoque quæ id me postulare faceret subdo: Nẽpe, quod cum Romanæ Ecclesiæ sim filius & Ordinis Prædicatorum, nec non SS. Theologiæ Doctor & professor, his tantis nominibus me obligari ad eam quam profiteor fidem tuendam, atque ad omnes, ab ea falsa quadam persuasione adducti recedentes, ad eandem ipsorum satisfaciendo scrupulis & dubijs fideique nostræ dogmatibus confirmando & explicando, vbi se offert occasio, reducendos teneri. Et certe mihi tunc nequaquam animus contendendi erat, non classicũ hac mea petitione canebam, nõ bellũ indicebã, neq; vt in arenã mecũ descenderent Ministros prouocabam, sed solũ hic meus tunc erat animus, vt insolubiles quibus transfuga in suo abiuratorio sibi videbatur sermone vti rationes soluerentur, & scopæ dissolutæ esse ostẽderentur, & fidei nostræ Catholicæ veritas ita è profundo, in quod transfuga eam dimerserat, emergeret, & suũ apud eundẽ quẽ aliquando obtinuit locum consequeretur, atq; ipse postliminio reuerteretur ad ouile ex quo extractus erat. Huic autem inter priuatos parietes celebrando colloquio, vt ipse Clemens, alijq; nonnulli ex doctioribus, interesse vellent, efflagitabam.

Placuit D. Clementi oblata conditio, ideoque annuit, sed vnum atque alterum obstare aiebat, quo minus, hæc res statim suum consequeretur initium. Nam partim ob concionem à se habitam, & longiorem in Ecclesia protractam morã defatigatus, imbecilliorque fortè nonnihil redditus, reficiendarũ viriũ causa sibi domũ eundũ dicebat; partim etiam vt ipse vidi multorum allocutionibus, alijsque occurrẽtibus in plateis negotijs, non modo ab hoc nostro negotio, verùm ab ipso prãdio & refectione retrahebatur; tamẽ ne me frustrare velle videretur, & hanc cum suo nouello professo petitã sermocinationem auertere, ipse vltro pollicitus est se statim à prandio ad me vnà cum Neophyto suo, & alio quodam qui præcedenti anno à Romana religione, & eodem quo alter instituto defecerat, qui ad hoc se offerebat ptoperaturũ; dũmodo ipsi appensa insignia in fronti-

 spicio

ſpicio diuerſorij ad quod diuerteram (quæ mihi tunc forte exciderant) ſignificari curarem. His ita cum D. Clemente peractis ad diuerſorium reuerſus mēſæ hoſpites vniuerſi accumbimus. Sed interim dum, Germanico more, ferculis onerata menſa ſimul & adornata ſcyphis, cibi potionisque abundantia hoſpites reficeret & recrearet; hoſpitis filium, comparata prius illius beneuolentia oblatione cuiuſdam munuſculi ad D. Clementem ablegauimus, illique puero in mandatis damus, vt D. Clementi, ſi pro mea petitione ipſi adhuc animus eſſet, ad me, vt promiſerat cum ſuis accedendi, in ædibus parentis ſui me inueniendum renūciaret. Puer feſtino celerique vſus gradu, vixdū egreſſus reuertitur, tricliniūq; in quo vnà cū multis mercatoribus diuerſarum nationum menſæ accubueram, ingreſſus, hoc clara voce omnibus attendentibus refert D. Clementis reſponſum: Ipſum finita concione Catechiſtica, quam aiebant, ſecunda hora abſolui, affore. Sed ecce, tranſierat ſecunda, audita quoque iā erat tertia, medium quartæ inſtabat, D. Clemens adhuc in Catechiſticis hærens, & mei & ſuæ pollicitationis immemor, emanet. Teſtor autem omnes commenſales & domeſticos, ad medium quartæ vſque nos omnes expectaſſe. Veſpere iam appropinquante, aurigæ adornant rhedas, & de temporis anguſtia, perſōnarum multitudine conquerentes feſtinandum eſſe inquiunt, ſi vehendi cœnare iſto veſperi Francofurti in votis haberent: Nec minus etiam ipſi mercatores à ſuis quiſque Francofurtum reuocabatur negotijs, ad quę poſtridie mane applicaturi erant & mentes & manus. Itaque rhedis occupatis Francofurtum accedimus. Verum quartam circiter horam primum diuerſorium vna cum ſuis D. Clemens (vt ipſi ferunt) inuiſit; vbi dum me receſſiſſe comperit, ægrè aliquantulum meum factum ferens (vt intellexi) conqueritur; ſed an iuſta querela ſit, alijs iudicandum relinquo: neque enim ipſum, vt noctu me conueniret, inuitaueram.

CAPVT

CAPVT III.

Quod ea quæ hoc colloquium Francofurti promouerunt explicat.

POSTERA luce, quæ erat dies lunæ hebdomadæ ſecundæ nondinarum, vixdum ſolutis à ſomni nexu ſenſibus, primũ quod ſe menti repræſentabat meæ, inſignis erat illa iniuria, qua heſterna die, apoſtata ille publicè Eccleſiam Catholicam affecerat: quæ ſane adeo meam premebat mentem, vt non, niſi ad vindicandam illatam Chriſti ſponſæ iniuriam aggrederer, inſtitutumque pridie ſed non completum, imo ne inchoatum quidem, cum apoſtata colloquium proſequerer, meo me ſatiſfeciſſe muneri & officio exiſtimarem, & trãquillitatem animi, quam admiſſum facinus perturbabat, me conſequi poſſe ſperarem. Itaque ex Veredariorum Præfecti aut Magiſtri ædibus, aſtantibus aliquot mercatoribus, vt quod meum erat pro Eccleſia præſtarem, conductum tabellarium datis ad D. Clementem ſuosque deferendis litteris mitto. Quibus D. Clementem eiuſdemque conſortes ad colloquium ſequenti die ſcil. martis Frãcofurti inter nos priuatim & amice inſtituendum, inuitabam. Quarum epiſtolarum copia eſt quæ ſequitur.

EPISTOLA I.

REuerende Domine. Heſterna die vſque ad tertiam & vltra horam expectaui Veſt. Dom. nec amplius mihi per amicos aliaq; negotia Francofurti expedienda licuit, ſicut Veſtræ Dominationi citius venire propter occupationes quibus implicatur continuo; interim nollem Coloniam redire, quin colloquamur & amicabiliter cõferamus absque ſtrepitu, ſed duntaxat veritatis indagandæ gratia. Rogo igitur craſtina die Martis non dedignentur Veſtræ Dominationes venire, ſi fuerit integrum, ad Conuentum Prædicatorum Francofurti ad frugale conuiuium, cui interierunt quatuor vel quinque amici honoratiſſimi cupidi veritatis ſciendæ, intra noſtrum

cubiculum. Quod si cumulus vestrarum occupationum impediat, aliàs disponat locum & horam vt conueniamus, dum citissimè saltim intra biduum fiat; quia pro meis lectionibus sunt vacantia, & tempus resumendi illas instat. Si alter Dominus Parisiensis, qui fuit eiusdem instituti, qui nouiter conuersus apud vos, vellet venire, nobis erit gratissimus, simulq; ac alij amici Vestræ Dominationis. Quã altissimus diu felicem conseruet, & ad tramitem veritatis reducat. Francofurti 29. Septembris 1609. stylo nouo.

Speciali titulo Dominus Minister tenetur mihi condescendere, quia vt postea intellexi, est filius Hispani, sicut & ego natione Hispanus vobis obsequentissimus.

Si non placeat ad claustrum venire, parabo prandium in domo cuiusdam Coloniensis Mercatoris, dummodo Vestra Dominatio mihi significet per latorem præsentium.

Frater Cosmas Morrelles Ordinis
Prædicatorum, S S. Theologiæ
Doctor & Professor.

Sed ecce dum Nuntius, qui nonam circiter Frãcofurto egressus, curreret, egoque in Prædicatorio nostro conuentu prandere m, duo per eiusdem conuentus Ianitorem mihi significant, illos huc Francofurtum aduentasse, cum quibus pridie Hanouiæ de quibusdam tractandis negotijs religionis egissem, quiq; dum me præsentem quidem sed in prandio detentum intelligerẽt, renunciarũt vt in conuẽtu expectarẽ hora prima illos quos ad certamen vocassem venturos: quibus me præstolaturũ spopondi. Quod autem fere vsque ad quartam expectauerim, graues quidam viri ad hoc vocati à me, testes fidem facient. Verum cum diutius ibi hærere tædiosum esset, præsertim cum coniectura assequi videbamur, neque expectatos illos venturos, neq; quicquam hoc vesperi in hocce negotio prosperè peragi posse; ad negotia sua quisque perficienda egredimur.

Cumque forte mihi forum (in quo ad tractandum de suis rebus mercatores conuenire solent) esset transeundum, duo

duo illi qui prius me ſuorum præſtolari aduentum iuſſerant, deſignantur, quorum vnus erat prædictus ille qui cum D. Clemente ſe obtulerat ad diuerſorium venturum; alter, Caluinianiſmi quidam miniſter dicebatur; quos ego aſtantes in angulo quodam dicti fori, conueni, vehementerque inuehuntur quod pridie in Hanouienſi vrbe & diuerſorio non exſpectaſſem; vſque dum D. Clemens me vnà cum ſuis conueniſſet. Verum, cum me ſufficienter de diſceſſu ob ſupra allatas cauſas purgaſſem, ipſi ſe ad diſputandum offerunt, meque ad concertandum cum ipſis de Poëticis, Rhetoricis, Logicis, & Phyſicis (grauibus certè & ad rem pertinentibus) quæſtionibus prouocant. Sed cum & materies, & locus ad diſputationem requiſitus, abeſſet, huius concertationis aliam ſubire nolui, ſed glorioſius exiſtimabam eſſe ſubterfugere quam ad monomachiam in publico loco ſine cauſa, procedere. Nam in dicto mercatorum ſummo foro & ambulacro ſtabamus, non autem in Platonis Academia, & Ariſtotelis Lyceo inambulabamus, in quibus auditorijs memoriæ proditum eſt quondam Philoſophiam pertractari ſolitum fuiſſe. Materies etiam ab ipſis propoſita, cum ad ſcholares & iuuenes (quorum ſtomachus ad altiſſimarum rerum ſolidum cibum, concoquendum inualidus) pertineret, eſſetque vt ille aiebat, infra meam iram, ideo ad ſcholares ipſos & ad Gymnaſia amandabam, vbi quam plurimos reperturi eſſent, qui ipſis ſatis negotij in hiſce ſtudijs, faceſſerent: me autem de illa duntaxat auere materia agere dicebam, quam pridie in Hanouienſi Eccleſia apoſtata in ſua abiuratoria oratione pertractauit, ea potiſſimum in parte, in qua Eccleſiæ Catholicæ dogmata refutabat; quod me hinc fructum aliquem conſecuturum ſperarem, & Dei gloriam Eccleſiæque bonum promoturum, cernerem, non autem vanam gloriolam capturum, & laureolam in muſtaceo, quod aiunt, quæſiturum.

Interea dum hęc colloquimur, ingens hominum omnis ætatis, conditionis, ſtatus, & ſexus turba, concurrit, noſque vno quaſi agmine circumuallat & cingit; quod cum cernerem ve-

rikus ne tumultus aliquis ea in vrbe eoque in loco & tempore propter me diceretur excitatus, consultum mihi videbatur fore si salutato vtroque collocutore discederem, & me salua potius adhuc rate & mercibus quam iniurijs contumelijsque à vulgo (bellua illa multorum capitum) affectus, cum ad id eos pronos atque promptos conspicerem, ad mea conferrem. Igitur valedicens ab eo.

Verùm cum quam plurimi præstantes viri & mercatores Catholicæ Romanæque Ecclesiæ obsequentes gestorum omnium huc vsque recensitorum conscij sæpius & piè exoptarent, vt recenti vulneri matri Ecclesiæ ab apostata inflicto mature. (Nam mala per longas inualuere moras, & hæresis vt cancer serpit) mederetur, idque potissimum eo applicato vel adhibito quod confeceram antidoto, motiua nempe prædicta apostatæ in priuato colloquio examinando & confutando cum hoc videretur accommodatissimum; tamen cum eidem viri præstantes cernerent me per memet rem licet aliquoties attentatam vt scilicet Hanouienses ad colloquendum comparerent, non posse commode perducere, ipsi mihi in hoc & matri Ecclesiæ, vt filios decebat, opem ferre decreuerunt; oportuneque certe quod decreuerant præstiterunt. Dum enim hi alios quosdam mercatores Caluinianæ tamen sectæ affectas Zelosos de hoc Hanouiensium facto conuenirent, illisque eorum tergiuersationem detegerent, non minus ipsi, licet Caluiniani, hoc impediri colloquium ægrè ferebant, quam dicti Catholici: cum ad suæ Ecclesiæ laudem & gloriam videretur quam maximè spectare, vt aiebant, vnicuique poscenti de sua fide vt est apud Apostolum reddere rationem. Quapropter cum iam vtraque mercatorum pars & Catholica & Caluiniana in hoc consentirent, quod colloquium hoc fore suis Ecclesijs vno quasi ore proficuum (diuersis tamen & cuique parti proprijs ad id rationibus vt statim insinuauimus adducti) iudicarent & faterentur: ecce sibi inuicem vtriusque religionis & partis consortes stipulata manu pollicentur, se affecturos

ros vt certo conſtituto ab vtriſque loco & tempore quam fieri poſſet citiſſimè ab vtraque parte ſui athletæ in palæſtram dimicaturi (nullis prætenſis quorumcumque impedimentorum occurrentium excuſationibus) adducerentur. Locus igitur vnanimi illorum conſenſu deſignatur porticus cuiuſdam mercatoris ædibus annexa, in quam die mercurij hora octaua ante meridiana eramus ad colloquendum conceſſuri; non vt antea clam verum palàm, ijs nempe præſentibus mercatoribus qui ad hoc colloquium promouendum ex vtraque religione auxilium tulerant, alijsque forte nonnullis ab ijſdem adducendis perſonis.

CAPVT IV.

Quo Miniſtrorum ad hoc colloquium ineundum conſenſus, item collocutores, locus, & præſentes perſonæ, continentur.

HIs ita die lunę peractis, cum iam decretus mercurij dies & ſtatuta hora expectaretur; Ecce die martis quem ad Hanouienſes Miniſtros pridie deſtinaueram, tabellarius ad me D. Clementis litteris & reſponſo inſtructus redit, quibus ſignificabat ſe ipſa hac martis die vna cum ſuis Francofurtum venturum ad poſtulatum inſtitutumque colloquium peragendum, & ſub horam tertiam pomeridianam in ædibus cuiuſdam Francofurtenſis ciuis, Caluinianis addicti, quarum nomen inſinuabat colloquio initium datum iri; quarum litterarum copia ſequitur.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA II.

Clariſsime Domine. Heri à concione pomeridiana hora dicta, Veſtram Dominationem expectauimus, & in hoſpitio quæſiuimus, ſed iam diſceſſerat, & quia ſponte ſe obtulerat prædicta Veſt. D. hodie ad nos reuerti, illam expectauimus, quod ipſi per amicum hodie mane ſignificandum curaui. Etſi verò iam multis obruar occupationibus, conabar tamen craſtino die, colloquio, quod Veſt. D. petit intereſſe, ſed vix fieri poterit ante tertiam pomeridianam, ita vt opus futurum non ſit, vt Veſt. D. prandium mihi paret, nec in clauſtro, nec apud veſtrates. Interim pro hac veſtra benigna inuitatione, gratias maximas habeo. Qui me filium Hiſpani eſſe retulerunt, Veſt. Dom. impoſuerunt, nam ex Dei benignitate ſum Gallus, filius Galli. Vnum à Dom. Veſt. petam, vt cum ſuis, ſi aliquos adducere voluerit, ad ædes D. Iſaaci Genij Eccleſiæ Belgicæ Francofurtenſis Miniſtri venire non dedignetur. Illum etiam per veſtrum tabellarium iam orauimus, vt in hunc finem, hora dicta tertia pomeridiana ædes ſuas aperire nobis velit. Ille Pariſienſis hinc diſceſſit, an ſit Francofurti inquiram, & ſi reperiri poſſit, illum adducam, alijſque fratribus meis, qui heri Veſt. Dom. mecum expectarunt, ſignificabo, vt ſi velint, vel ipſis per occupationes liceat, adſint. Interim Deũ toto pectore oro, vt te ſaluum conſeruet, & ad veram ſui notitiam, & cultum, quem in verbo ſuo nobis præſcripſit, adducat. Amen.

Hanouiæ volante calamo 18. Septemb. 1609. ſcribebat

Tuæ ſalutis ſtudioſiſsimus
Clemens Boëſius.

Quibus lectis, confeſtim ſupra memoratos vtriuſque partis mercatores, qui die mercurij hoc negotium decreuerant inchoandum, certiores redduntur de ijs quæ Hanouienſes Miniſtri ſcripſerant, ipſiſque hora & locus deſignatus futuri colloquij indicatur.

Inſtante iam hora tertia cum me ad prædictas ædes, in quibus ad certamen ineundum aula ampla eſſet adornata conferrem,

rem, magnus ecce illorum qui hanc rem resciuerant fit concursus, atque huc ciues, aduenæ, Ecclesiastici, seculares literati, maiori ex parte, Catholici & aliarum sectarum asseclæ confluunt: & quiuis auidè cupiebat suo quantum ad hunc actum satisfacere desiderio: Catholici audire gaudebant qua ratione eorum defenderetur religio; Caluiniani vt Caluinianismus se tueretur, aliarum autem sectarum sectatores qualiter ij sese mutuo qui ab ipsorum essent alieni Ecclesijs oppugnarent & conficerent spectabant, denique quam plurimi vtra pars superior euaderet, palmamque præriperet, semet iudices constituentes, inspecturi aduenerant.

Porrò hoc colloquium cum non de leuibus sed maximi ponderis & momenti rebus animorumque salutem concernentibus institueretur; viri idcirco etiam perillustres, negotijs alijs non minus serijs & ad Rempublic. spectantibus postpositis, è re sua putarunt eidem interesse & auscultare. Inter quos à parte Catholicorum aderat Nobilissimus D. D. Matthias VVelser, sacræ Cæsareæ Maiestatis meritissimus Thesaurarius generalis.

Omnibus itaque huius actus essentialibus & accidentarijs, (ita mihi loqui liceat) viris in aula præsentibus, vtraque locum sibi pars electum occupauit, atque ex vna se collocauere Caluinianæ sectæ propugnatores, quorum quatuor ni fallor sedentes, reliqui in vnam quasi conglobati turmam, ad subsidium assistentes, ad certamen se promptos paratosque exhibuere. Qui subsellia inter Caluinianismi propugnatores occuparant erant hi.

Dominus Isaac Genius Minister Belgicæ nationis Ecclesiæ in Houenbach.

D. Clemens Boëfius Ecclesiæ nationis Gallicæ apud Hanouienses Minister.

D. Isaac Minister Ecclesiæ Belgicæ Hanouiensis.

D. Timotheus Minister nationis Gallicæ in Houenbach.

Inter assistentes antesignani videbanter hi (quorum tamen nomina mihi incognita.)

Primus, Quidam Heidelbergensis; Alter, Quidam Geneuensis, qui vtrum Ministri an Theologi professores sint me latet. Tertius erat ille à Catholica & Capuciniana Religione apostata, quem me in foro ad conflictum de humanioribus artibus inuitasse supra dixi. Quartum quem fuisse ferunt transeo. Ex altera parte, ad maiorem Dei gloriam & ad Catholicæ Religionis honorem pridie labefactatum restaurandum, solus ego me (cum non esset qui se mihi adiungeret coadiutor) constituo, non alijs fultus & munitus auxilijs præterquam Dei Opt. Max. præsidio, eiusdemque præpotentis Dei Augustissimæ parentis, Virginis maximæ MARIAE subsidio, & SS. Dominici & Thomæ Aquinatis, singularium fidei Catholicæ protectorum, tutela: Quorum opem supplex in summa æde priusquam in certaminis locum descenderem; imploraueram. Aderant autem & alij mihi ignoti & me inscio Catholici, etiam Theologica sapientia imbuti, qui tamen non actorum sed spectatorum solum personas sustinebant, nisi quod Reuererendus & Doctissimus D. Christophorus Raab SS. Theologiæ Eximius Doctor, Reuerendiss. & Illustriss. Episcopi Herbypolensis digniss. Theologus apposité & doctè sententiam quandam contra aduersarios protulerit.

CAPVT V.

Quod huius colloquij initium, item conditiones & leges in eius decursu seruandas, & circa eas notatu digna disputata complectitur.

FACTO iam silentio sedatisque turbis, D. Clemens Boësius Minister Hanouiensis Ecclesiæ nationis Gallicæ, loqui debita comitante vrbanitate, exorsus, me omnium nomine his ferè verbis affatur.

Doctis-

Doctissime Domine Doctor: per tuam hanc ad nos transmissam epistolam(quam manu tenebat)rogasti & inuitasti nos, vt si per occupationes fieri posset, huc Francofurtum veniremus eo quod tibi nobiscum esset negotium. Ecce, hic coram adsumus,quid tibi nobiscum est,&c. Fare.

Quibus ego Reuerendi & Doctissimi Domini Ministri: Nudiustertius dum in Hanouiensium non modo ciuitate verum etiam Ecclesia Gallicæ nationis essem, audita docta & elaborata D. Clementis concione, vidi quendam vt dicebatur, Capuccini Ordinis (summo animi mei cum dolore) detestantem & abiurantem Catholicam & Romanam fidem, atque in hoc ipso suo detestabili sermone multa de nostræ Religionis dogmatibus & contra eadem differentem: Sed quia cum ea quæ de his dogmatibus diceret, se secundum Catholicorum Doctorum mentem, adferre putaret & profiteretur, tamen plurima præter & contra Catholicorum Doctorum sententiam effutiuit, & quidem talia quæ nec vllus hactenus Catholicorum somniauerit neque somniabit. Cum præterea rationes quibus eadem fidei nostræ dogmata oppugnare annitebatur insolubiles existimaret & diceret: Certe, vt fatear quod res est, non potui me continere quin huius hominis cæcitati succurrerem & imposturam detegerem, eiusque ipsi errores ostenderem, rationes soluerem & refellerem: sed quia id, dum in Hanouiense vrbe essem, consequi non potui, misso ad vos tabellario huc veniretis rogaui, vt hic vobis præsentibus totum hoc negotium cum ipso amicè peragerem. Quare vester mē recreat conspectus, lætorque vos pro mea petitione ad id huc conuenisse.

Verùm priusquam vlterius prouehamur, quosdam limites vt commodius & fructuosius negotium peragatur, constituendos arbitror, quos vltra citraque nec mihi nec apostatæ, vel cui ipsi ex vobis suppetias ferre placuerit, transgredi fas non sit; quosque si constitui nolueritis, certè non nisi confusum verborum efficiemus chaos.

Conditiones igitur ſint hæ:

PRIMA.

Exiſtimo modeſtè, placidè, amicè, & ſedatè omnibus procul excluſis vociferationibus, contumelijs, ſubſannationibus, omnibusque animi turbidis motibus temperatis, & fluctibus compoſitis, in hac veritatis indagatione eſſe procedendum. Et vos idem exiſtimare arbitror: Annuunt.

SECVNDA.

Vnus dum loquitur vel proponendo, vel opponendo, vel reſpondendo puto fore conſultum, tum ne turbetur is qui loquitur, tum ne impediantur auditores, tum deniq; ne bis, ſi minus, ob id ea quæ profert, aſſequerer, cogatur quæ dixit repetere, vt cæteri ora comprimant: ſi tamen vnus in alterius vel reſpondendo, vel argumentando, prout tulerit occaſio, locum ſuccedere velit, per me licebit: Et huic vos ſubſcribere arbitror: Annuunt.

TERTIA.

Ne aliqua in decurſu præbeatur iurgijs conuitijsque occaſio, ſi alter fortè, alterum aut ignominioſo, aut ſaltem ſibi diſplicente appellaret nomine, operæpretium erit vt vtraque pars ante omnia ſuæ Religionis nomen det & profiteatur: Mea, igitur, Religio vocetur vel Romana vel Antiqua. Quod veſtræ Religionis nomen ſit, proferte mihique indicate, ne ſi eam Caluinianiſmum & vos Caluiniſtas appellauero, veſtram (quod timeo) incurram indignationem, & offenſioni dem locum. Hic alterius partis collocutores neſcientes quorſum hæc tenderet conditio, (Ideo autem hanc exigebam conditionem, vt ſi ſe Caluiniſtas appellaſſent, ex Caluini contra ipſos agere operibus potuiſſem) aliquantiſper ſilent, atque inter ſe conſultant quod nomen ſuæ Religioni inponendum. Tandem vnus prorumpit dicens: Et noſtra vocetur Catholica.

Cui ego: ſi hoc nomen, Catholica, veſtræ Eccleſiæ vultis eſſe proprium, ego contra noſtræ proprium affirmo, ita vtrique Religioni (propriè quidem noſtræ & prætenſe veſtræ) erit com-

mune,

mune, ſic autem veſtram à noſtra non diſcernit: Atque ea de cauſa non admitto, vt veſtram Religionem vocetis hoc loco Catholicam;ſed aliud peto dari quod ſit diſcrimen certum veſtræ à noſtra:

His dictis alius quidē exſurgit atque intonat. Vocetur igitur noſtra Religio,Fundata in verbo Dei.

Sed & hunc communem eſſe titulum oſtendo prætenſe quidem veſtræ,proprie noſtræ: cum nulla ſit Religio (paucis exceptis)quæ ſe in ſcripturis aut verbo Dei fundatam non velit nominari.

Ad hæc D. Clemens concitatior aliquantulum, bone Deus, inquit,quorſum hæc tendunt?vultne forte,D. Doctor,vt Caluiniſtas nos eſſe confiteamur?Non ſumus Caluiniſtæ.

Huic ego: proculdubio ſcietis quid ſitis: ſi autem voſmet qui ſitis neſciatis;quomodo ego qui ſitis ſciam?

Tandem D. Iſaac,hanc volens componere litem animo ſedato ait:Nominetur veſtra Religio Romana, & noſtra Orthodoxa ſi placet.

Sed & hoc nomen eadem ratione qua ſuperiora reijcere potuiſſem,nolui tamen,ne terere tempus videremur, & auditoribus tædium parere,quorum quamplurimi vel ſumptis pugillaribus, vel eum in finem allatis libellis & chartis ſingula quæ dicebantur,celeri adhibito articulorum motu,annotabant.

Admiſi ergo nomen hoc,quamuis alioquin non admittendum & in decurſu diſceptationis, eos ideo D. Otthodoxos vbi compellandi erant; hoc ſuo non ſuo,nomine vocitabam.

Sed cum quidam Caluiniani ex ſecularibus minus literati nomen hoc nouum & ipſis forte inauditum à D. Iſaac proficiſci & ſuæ ſectæ imponi audirent,quid hoc monſtri eſſet ignorātes,ægre admodum D. Iſaac factum tulerunt:

Verum ſic volenter, nolenter ab ipſis tertia conditione aliquando conceſſa,ad reliquam progrediebar,

quæ erat hæc:

C 5 QVAR-


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVARTA.

Vt ambages, digressiones, & diuerticula vitentur, resque breuiter, apertè, distinctè, & clarè proferantur, necessarium fore iudico vt aptissimis ad veritatem eruēdam logicæ vtamur instrumētis, eamque seruemus methodum quam Aristoteles 1. Prior. tradit, quamque in his similibus colloquijs tam antiquis quam recentibus seruatam notum est. An vltima & extrema hæc conditio vobis ad hoc institutum perficiundum necessaria videatur & requisita, dicite: Annuunt.

Hisce cōditionibus à me iam positis & ab aduersarijs admissis, dum ijdem nullam aliam restare, sed me his contentum perspicerent, ipsi his tāquam insufficientibus acquiescere renuūt, dicuntque me eam quæ veluti basis & fundamentum esset, huius futuri ædificij prætermisisse, sine qua tota structura fragilis admodum esset & facillimè collapsura.

Quibus ego: si aliam scirent huic negotio accommodatam legem à me prætermissam, vt ipsi eam ferrent dixi, me nisi Catholicæ fidei bonisque aduersetur moribus tam sanctè & Religiosè eam seruaturum ac vllus eorum. Ponunt igitur hanc nimirum:

Omnia argumenta quæ ad confirmandam suam & oppugnandam alienam Religionem sunt in medium adferēda, nullius erunt valoris & ponderis nisi ex ipsis sacris Bibliorum voluminibus depromantur.

Interrogatus num & hanc meo misso in vrnam comprobarem legem calculo.

Respondi; Didicisse me iam olim à meis maioribus, & hausisse ex D. Thoma cont. gent. lib primo in primis capitibus modū rectè disputandi in Theologicis materijs ad quācumq; falsam oppugnandam conclusionem & sententiam. Si cum hæreticis & extra Catholicæ Ecclesiæ gremium constitutos esset de re fidei agendum, ex quo armario promere deberem autoritates nēpe ex libris antiqui ac noui testamenti quos illi recipiunt. Vnde mihi modo cum vobiscum agam non ex Apostolorum canonibus,

nibus, non ex vllis traditionibus, consiliorum decisionibus, Pōtificum decretis &c. eruenda sunt argumenta: quia hæc omnia tanquam ab humano (vt errantes putatis) spiritu emanātia iam pridem valere iussistis. Sed duæ mihi sumendæ & aperiendę sunt pharetræ, ex quibus ad vestra prosternenda desumam iacula. Prior est illorum sanctæ scripturæ libroum, quos tamquam authenticos & canonicos recipitis, cathalogus: Posterior est lumen naturale (de quo Dauid: signatum est super nos lumen vultus tui Domine) & propositiones per illud lumen naturale euidenter cognitæ, ex quibus assumptis mihi etiam licere inferre conclusiones, ad vestras falsas opiniones & sententias tollendas arbitror.

Sed ecce vixdum hæc elocutus fueram, in promptu aderat acuta certè aduersæ collocutorum partis responsio admodum communis, contra hoc posterius argumentorum genus; Nimirum, lumen naturale in nobis est obscuratum, naturalisque ratio est cæca, atque ideo inepta vt ex propositionibus ipsi cognitis in rebus fidei quicquam concludatur & ipsa concludat. Sed hem D. Orthodoxi, quo ruitis vestrum ingenij lumen obscurātes rationem excæcantes? sistite parumper & attendite.

Negatis ex vlla propositione lumine naturali cognita posse in rebus fidei quicquam colligi & concludi.

An ne hæc vestra sententia? Annuunt.

Contra argumentor, proboque, tametsi obiter, id non solum posse fieri, sed debere fieri & etiam de facto fieri & iam olim factum.

Pono itaque hunc casum: *Si* controuersia esset inter Christianum & Ethnicum de assumenda alterutra vel Christiana vel Turcica Religione, de amplexanda vel Christi vel Mahometi fide, de accipienda vel sacra scriptura & Biblijs vel Alchorano; Quæro nunc posito hoc casu, D. Orthodoxi, vnde depromenda putatis Christiano argumenta, ad probandum Ethnico Religionem Christianam, fidem Christi, sacram scripturam esse eligendam, Turcicam autem

autem sectam, perfidiam, impiamque Alchorani legem repudiandam? Numne ex Biblijs sacrisque litteris? Neutiquam, quia de ipsis cōtrouertitur cum nemo vel testis vel iudex in propria causa admittatur. Ergo aliunde petenda; sed cum nihil aliud restet quam ratio & lumen ipsius naturale, certe non nisi conclusionibus, ex præmissis cognitis lumine naturæ illatis erit cōuincēdus. Vnde enim & ex quo possumus in hoc casu certe cognoscere fidem in generali quam profitemur Christianam esse veram, an ne ex eadem fide? Minime cum ipsa fides hic in dubium vocetur; Ergo ex solo lumine rationis.

Quapropter si Religio & fides Christiana, ostendatur assumēda, argumento sumpto nō nisi ex propositionibus per lumē naturæ perspectis, & ad hunc effectū lumen naturæ nō est offuscatum. Quid precor, D. Ministri, obstabit & impediet, quo minus ad particularem aliquam controuersiam in theologia dirimendam & conclusionem probandam recurrere non liceat ad propositionem aliquam mediante lumine naturæ cognitam? Quod vt clarius perspiciatur hoc exemplo illustro.

Quæro igitur: Num in Christo esse duas voluntates sit vna Christianæ & Catholicæ fidei veritatum?

Respondet vnus aduersariorum (cuius nomen volens prætereo) Nequaquam esse in Christo duas voluntates: quem tamen alij subito reprimentes, dicunt: In Christo duas voluntates esse, est christiana veritas, sed admissa hæc quid vult D. Doctor inde inferre?

Quos rursum interrogo dicens: vnde vobis cognita hæc cōclusio? Non ex scripturis. Vbi enim quæso in noui aut veteris testamenti libris exarata? Ergo si non ex scripturis saltem ex propositione aliqua lumine naturæ nota inferetur, vt autem qua ratione id fiat constet.

Quæro tertio: Num hæc propositio sit nota lumine naturæ, an vero lumine fidei & reuelationis?

Quicquid constat duabus naturis intellectualibus perfectis, in eo sunt duæ voluntates.

Faten-

Fatentur eam esse notam mediante naturali lumine rationis.

Adeste nunc,ergo, D. Ministri, auribus & animis & accipite quomodo ex propositione lumine naturæ nota possit inferri in rebus fidei conclusio.

Anne bona hæc est ratiocinatio?

Quicquid constat duabus naturis intellectualibus perfectis in eo sunt duæ voluntates.

Sed Christus constat duabus naturis intellectualibus perfectis(cum perfectus sit Deus & homo) Ergo in Christo sunt duæ voluntates.

Conclusio hæc est veritas Christiana:Minor est in sacris litteris, Maior autem extra sacram scripturam est & lumine naturæ solum nota. ex quo iam relinquitur quod ex propositione aliqua lumine naturæ nota possit inferri conclusio Theologica.

Quid ad hoc D.Ministri?

Quod prius negarant & reiecerant argumentorum genus tãquam ineptum ad disputandum, de fidei rebus, id tandem conuicti admittendum fatentur, seque admissuros inquiunt modo propositio lumine naturæ cognita, sit ipsi rationi consentanea & minime cnm ipsa pugnans.

Concordia iam quasi inita de conditionibus & legibus disputationis futuræ: Quidam aduersæ partis collocutorum habens adhuc scrupulum de lumine naturæ, & propositionibus ipsi cognitis ad disputationem admittendis, putansque hinc aliquam fore scripturæ inferendam iniuriam inquit.

Domine Doctor illi qui sunt Romanę Ecclesię sectatores eo vsque Sacram Scripturam deprimunt, vt inualidam eam iudicent ad fidei conclusiones probandas, cum tamen ipsa sit iudex omnium controuersiarum fidei.

Respondeo primo, nullum Catholicorum Doctorum hactenus dixisse Scripturam esse inualidam, debilem, vel infirmam ad probandas conclusiones fidei, verum etiam validissimã profitemur, imo argumenta à diuina autoritate sumpta etiam qui-

busuis quantũuis fortibus & euidentibus anteponimus demonstrationibus. Secundo docemus tamen & tradimus Sacrã Scripturam inadęquatã esse, & quantum ad hoc insufficientem, vt quædã veritates fidei sint, quæ ipsa probari immediatè nequeãt; qualis est, perpetua Mariæ Dei genitris virginitas, & multæ alię, quæ non ex scriptura sed traditionibus diuinis & Apostolicis habentur. Respondeo secundo Scripturam esse minimè controuersiarum iudicem, neque puto quemquam vestrum Scripturam verum esse propriumque iudicem existimare, cum iudex sit lex animata, adeoque etiam Sacra Scriptura est obscura, ac difficultatibus inuoluta, verusque illius sensus velatus & tectus, vt neque impropriè & abusiuè iudex vocari possit.

Ad quod D. Clemens, D. Doctor Scripturam iudicem esse, propriè hinc cõstat, quod Christus in extremo iudicio te si malè egeris, secundum Scripturam sit iudicaturus, & ex illa condemnabit te. Cui ego respondi; Si Christus in extremo iudicio iudicabit, & quidem, vt ais, secũdum Scripturam feret sententiam in me, bene vel malè agẽtem, quomodo Scriptura erit iudex, quæ non sententiam feret, sed secũdum quam iudicabitur, & sententiam Christus est laturus; videtur mihi potius D. Minister, quod ex vestro argumento manifestè oppositum contra vos inferre possim, nimirũ quod Scriptura sit lex & non iudex. Christus autem iudex viuorum & mortuorum sit.

CAPVT VI.

Quod primam colloquij sessionem & quæ in ea sunt acta ostendit.

POSTQVAM iam aliquamdiu de ijs quæ ad disputationẽ rectè instituendam necessaria videbantur, antequam ad conflictum serium veniremus, collocuti essemus, atq; inter nos de ijsdem conuenissemus, vt erant conditiones & leges in decursu seruandæ, aliaque nonnulla quæ in hisce occurrebãt seq; miscebant

bant

bant,etiam sequentibus pernecessaria, non sine fructu examinassemus: satis superque de his actum ipsisque immoratum esse vtrique parti visum est, vnde vlterius progredi & serio rem aggredi proposuimus: & huic concertationi do initium,sic loqui exorsus.

Procedat in medium Dominus ille, qui præterlapso Dominico die in Hanouiensium Gallicæ nationis Ecclesiæ fidem Religionemque Catholicam abiurauit, iamque hic ea proponat, quæ tunc temporis suæ defectionis adferebat motiua, vel quod perinde est ego ea prout memoria suggesserit recitabo,& quod deinde meum erit refutabo, & omnino nugatoria, futilia ac prorsus puerilia ostendam ac demonstrabo.

Prodeat ergo.

Domine Doctor, respondent Hanouiēses, is quem desideras non est præsens, serijs enim grauissimisque quibusdam negotijs præpeditus, huc se conferre non potuit.

Quid hoc, inquam rei est? emanet is qui causa est cur totum hoc incipiatur negotium.

Litteris ad vos missis eum inuitaui ad ineūdum mecum, vobis præsentibus & præsidentibus, de suis motiuis colloquiū, sed, licet sit principalis, tamen non cōparet. Possem certè ego hinc iusta de causa recedere, quandoquidem eum non adduxistis cū quo mihi res est, nihil mihi vobiscum esse fateor, nō vos ad arma certamēq; lacessiui, sed Apostatam illum, fidem nostrā sine ratione abiurantem, eiq; falsa imponentem, quē vos & alij promisistis venturū. Quid ergo, aiunt Hanouienses, quod tuis Domine Doctor non arriserit auribus protulit? Absit ille, nos ea quæ eruditè dixit, propugnare, propter quod & huc accessimus & consedimus, non grauabimur.

Quæritis, inquam, quid non arriserit, cum nihil quod arriserit his meis audiuerim, præsertim ea in parte sui abiuratorij sermōnis, vbi de Iustificatione impij, de Reali Christi in Eucharistiæ sacramento præsentia, de Bonis operibus &c. impudenter & imprudenter disseruit.

Quid de bonis operibus, dicunt Hanouienſes, dixit quod tibi tuiſque aduerſetur?

Hoc inquam quod nos ijs mereri negauerit.

Nos mereri bonis operibus ait D. Iſaac; non negauit, ſed mereri vitam æternam doctè negauit.

Sentitis ergo vos, dicebam, cum illo hominem Iuſtum mereri, ſed non vitam æternam? Probo hominem iuſtum bonis operibus mereri vitam æternam, idque varijs ſacræ ſcripturę auctoritatibus & ſentētijs. Et primo quidem ex Euang. Vbi Chriſtus dominus enumeratis in octo Beatitudinibus multis bonis operibus, tandē ſubiungit: Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cęlis. In hoc certe Chriſti domini dicto voces hę: Merces veſtra, item, In Cœlis, & paulo ante enumerata opera, nempe paupertas ſpiritus, Manſuetudo, luctus, fames & ſitis iuſtitię, Miſericordia, munditics cordis, paſſio perſecutionis & maledictionis propter Chriſtum & iuſtitiam; nihil aliud indicant quam nos hic in terris operibus propter Chriſtū factis mereri mercedem copioſam in cœlis nobis paratam quæ nulla eſſe poteſt præterquam vita æterna: Hæc enim eſt copioſa merces in qua Deus omnia in omnibus ſine quo cætera omnia non copia ſed defectus ſunt.

Matth. 5.

Hic expectabam ridiculam ſolutionem Caluini ad hunc & alia loca Sacræ Scripturæ, vt chimeras & nugas, quibus garrulus Archiſophiſta ac potentiſſimus Hęreſiarcha populum miſerrimè tenet ſeductum, patefacerem, ſed merito pręfati Miniſtri honori proprio cōſulentes ab ipſius ſolutione abſtinuerūt, tamen cum Scripturę loco admodum premerentur, quęcunq; potuerunt diuerticula quęſiuerunt. Et certe primo in hoc mihi gratificabātur, quod concederent mercedē copioſā in cęlis, quā hic Chriſtus Dominus ad ſuos conſolādos animādosq; proponit, eſſe vitā ęternā. Et merito hāc futurā mercedē in cęlis fateri coguntur cum nullā alia, pręter vitam ęternam, quę copioſa ſit merces, fingi excogitarique poſſit. Huic autem quod propter opera aſſererem dari vitam ęternam ſe opponebant.

Lib. 3. Inſtit. cap. 18.

Non

Nō tamen vt tu, inquiūt, D. Doctor arbitraris, propter luctū, propter munditiā cordis, propter famē & sitim &c. quæ sunt opera virtutū promittitur & dabitur hæc vita æterna. nā hæc datur regeneratis & iustificatis Christi iustitia, quæ apprehēsa per fidē nobis imputatur, datur, inquā, vita æterna, ex vi iustificationis, nā filij adoptiui Dei, quales sunt regenerati & iustificati hæredes sunt vitæ æternę. Opera autē consequuntur hominem addictum vitæ æternæ, tanquam fructus boni ex bona arbore, itaque non est dubium, quod vita æterna datur facienti illa bona opera, sed non propter illa bona opera.

Hæc fuit ab illis solutio insinuata, quamuis non omnino expressa, huc tamen illorum mens tendebat, quæ est etiam Caluini sententia, multis in locis. 3 *Inst. ab 11. cap. vsque ad 19. cap.*

Quibus ego D. Ministri hanc solutionem vestram infringunt expressa verba textus, nempe vox hæc Merces, quæ iuxta vocis significationem, & communem acceptionem, non datur nisi propter opera, cum merces nihil aliud sit, quam præmium, seu compensatio operis. Præterea cum Christus addat dictionem hanc Vestra sequitur quod promittat vitam ęternam, tanquam mercedem illorum operum, non quidem, quod opera nostra habeant ex se prout procedunt scilicet ex nostro libero arbitrio, energiam & vim ad vitam æternam consequendam, sed quatenus procedunt ex virtute gratiæ, vt nostri docent Theologi, qua iustificatus homo per diuinam misericordiam potens est in prædicta bona opera prorumpere.

Potuissent hic dicti Ministri, dum adeo premerentur scripturæ autoritate iuuari prętacta Caluini solutione dicentes, vt ipse, nempe quod licet in hac & consimilibus autoritatibus promittatur vita æterna vt merces, præmium & compensatio bonorum operum; tamen secundum mentem Spiritus sancti non dari illam, vt mercedem operum bonorum, sicut verba sonant, sed proponit illam vt præmium, Spiritus sanctus, vt homines animentur atque ad bona opera alliciat. Item, vt nostræ imbecillitati succurrens, quæ statim alioquin collaberetur ac concideret,

deret, nisi expectatione promissæ vitæ æternę se sustineret acliniret solatio suâ tędia: quo nihil blasphemius esse posse nemo non videt, cum manifestam fictionem Christo ipsimet impingat, sacrarumque Scripturarum autoritatem adeo deprauet & eneruet, vt nullam quasi fidem idcirco ipsi habendam, quisquam hinc posset inferre. Sed D. Ministri, ne pręsentium offenderent aures, id dicere, neque insinuare à lōgè voluerunt. Tandem fatentur (quod D. Isaac vir certè præstantis ingenij & singularis iudicij, celerrimè consideratis sententiæ verbis & ponderata argumentationis vi protulit) per bona sua opera hominem iustificatum mereri quidem vitam æternam, sed impropriè. Huius autem termini, improprie, à me petitam rationem D. Isaac reddidit hanc, quod cum inter Dominum & seruum non sit propriè iustitia, multò minus inter nos & summum Dominum, sed similitudinaria & impropria. Quod do-
5. Ethic. ctè ab eodem Isaac dictum est, & iuxta doctrinam communem Philosophorum, cum Aristotele, tum secundum S. Tho.
5. Ethic. lect. 11. 3. sent. dist. 9. q. 1. art. 1. p. 2. q. 114. art. 1. 2. 2. qu. 58. artic. 1. 3. p. q. 85. artic. 3. &c. plurimis in locis & reliquos scholasticos. Itemque consonat sacra Scriptura Paralip. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Et Iob. Si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet. Item Apostolus. Quis prior dedit illi vt retribuatur ei.

Verum cum audirem doctissimum D. Isaac in hæc verba Catholicæ doctrinę conuenientissima prorumpere, ipsi suisque ex animo quam plurimum sum gratulatus, quod ad nostram ali-
Paral. c. 29 quando Catholicam sententiam & mentem redijssent. Et certè opportuna & iusta offerebatur mihi occasio & causa ipsis gra-
Iob 35. tulandi, quia non credo hactenus aliquem Caluinistarum adeo
Rom. 11. extulisse opera bona hominis iustificati, vt dixerit per opera bona, videlicet largitione Eleemosynæ propter Deum factæ, &c. quemquam mereri vitam æternam tali iustitia, talique genere meriti, quale potest esse, inter seruum & supremū Dominum, quinimo hæc sententia stare non posset, cum illa, quam contra Romanam Ecclesiam tenent Caluinistæ de iustificatione. Sed quid

quid hac de re Caluinus sentiat paulò ante deteximus,& inferius plura de hac re attingemus, & si Caluini ac suorum mens esset & opinio, quod per bona opera homo iustificatus mereretur vitam æternam,merito,quale esse potest inter seruum & supremum Dominum, certè nihil prorsus à nostra, in articulo de valore bonorum operum hominis iustificati dissiderent Neque enim nos adeo bona hominum iustificatorum extollimus opera & merita, vt talem propterea inter creaturam & Deum statuamus iustitiam, qualis inter duos æqualis conditionis solet esse,quod legenti S.Tho. clarè & manifestè patebit. *Locus proximè citatis.*

Postquam illis ita gratulatus essem, & gratulationis causam exposuissem, in medium protulerunt locum ex operibus Illust. D. Bellarmini, ex quo volebant aliud quoddam genus iustitiæ magis arctum,strictum & rigorosum inter hominem & Deum, secundum nostram sententiam colligi, & ex hoc se non esse conformes nostræ sententiæ. *Tom. 3. lib. 5.*

Cum autem vidissem autoritatem priuati autoris, quamuis celeberrimi, nec meis dictis contrarij, opponentes illos, qui ex sacris literis petebant,vt duntaxat promererentur argumenta.Respondi Illust. D. Bellarminum virum esse,vt doctissimum, sic & grauissimum,eiusque opera & libros ,tum Catholicæ Ecclesiæ, tum etiam ipsis hæreticis multum prodesse, cum ex eorum animis omnes errores hæresumque,aut enatas,aut pullulantes stirpes resecet,& radicitus euellat, me tamen ita non in singula eius dicta (quod neque ipse sapienter fecit) iurasse, quamuis scirem, quid in hoc negotio à mente D. Tho. & communi minimè discedens disseruisset, vt ea vniuersa & singula velim defendere atque tueri,vt suo loco demonstrarem,sicut postea expleui. Nimis enim temerarium esset satisque periculosum, & quod fateor, onus cui ferendo mei humeri impares, omnes priuatos Doctores mihi obiectos,eorumque dicta & sententias ad explicandum propugnandumque suscipere.

Cùm iam ad hunc primum scripturæ locum consecutus fuissem responsa quædam, & confessiones nonnullas, quas intende-

tendebam, meisque extorseram quæstionibus, ad reliquas festinabam scripturæ autoritates, quæ vna cum numero & ordine ascendendo quasi maius robur, vim, validioremque virtutem ad infringendas aduersæ partis opiniones & sententias secum erant allaturę.

Altera igitur ex scripturis obiectio erat videlicet hæc, ex eodem Euangelio, vbi hæc Christus loquitur de futuro iudicio à se filio hominis instituendo: Tunc dicet Rex eis qui à dexteris
Matth. 25. eius erunt: Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi,& reddens rationem, quare illos ad gloriam regnumque suum, extolleret respondit: Quia, inquit, mihi esurienti manducare dedistis, sitienti potum præbuistis, me hospitem collegistis, nudum cooperuistis, infirmum & in carcerem coniectum visitastis, ideo vobis do regnum paratum. Regnum autem cęlorum omnium confessione, est vita æterna, ergo illi benedicti Patris, id est, iustificati adipiscentur vitam æternam propter opera, cum conceptis quasi verbis dicat, Esuriui enim, &c. id est, quia mihi esurienti manducare dedistis.

Responderunt aduersarij, huius dicti à Christo prolati non esse sensum, hominem per numerata opera misericordię mereri vitam æternam. Nam vita ęterna hominis datur vi iustificationis, opera autem bona emanant ab homine iustificato, Vnde opera bona consequuntur hominem iustificatum & sic filium Dei, & per consequens hæredem vitę æternę. Cui obuiabam dicendo, hanc loci huius interpretationem esse violentam & detortam, neque ad mentem ipsius Christi, vt ex claris illius innotescit verbis, nam Christus, cur à dexteris constituti consequantur beatam vitam dat causam cum dicit. Esuriui enim, &c. quæ coniunctio Enim causalis est.

Ipsi autem ad retundendam hanc meam obiectionem negabant in scripturis, Enim, semper significare causam, verum etiam nonnunquam consequentiam.

Ego autem rogabam, an in hoc loco à me obiecto particula

Enim,

Digitized by Google

Enim, significaret causam, & responsum vrgebam, & quamuis secundum doctrinam Caluini in locis supra allegatis intrepidè respondere poterant, negatiuè tamen, cum mens Christi sit satis clara, adeoque claris verbis expressa in hoc loco, vt nullam coram tam insigni auditorio pateretur tergiuersationem, non ausi sunt directè respondere, repetebant tamen & persistebant in dictis, quod coniunctio Enim in scripturis non semper significat causam.

Quibus ego dixi, D. Ministri, necessariò debetis fateri, quod in hoc loco particula Enim significet causam, nam alias neque etiam paulò post, cum de damnatis agitur, vbi eadem loquendi formula & verborum structura Christus vtitur, causam non significabit coniunctio Enim, cùm inquit: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; & sic dicendum erit, Christum non minari impijs ignem æternum propter mala eorum opera, quod neque vos neque quisquam alius concedet.

Ad hoc D. Genius, magnum hic esse discrimen inter bona & mala opera, dixit; nam ex nobis sufficientes sumus ad malum, non autem ad bonum, & sic per nostra opera mereri possumus ignem æternum, sed per nostra opera non possumus mereri vitam æternam, & ideo particula Enim, quando loquitur Christus de malis operibus, stat causaliter, sed quando loquitur de bonis operibus, non est necessarium, vt stet causaliter, quod per opera bona prout à libero procedant arbitrio iustificatus homo mereatur vitam æternam, sed hæc non est nostra mens, nec sic scripturam explicamus, sed quod per opera bona mereatur vitam æternam homo iustificatus, quatenus dicta opera ab ipsa gratia iustitia qua Spiritus sanctus per meritum CHRISTI liniuit & inunxit liberum arbitrium, proueniunt: ex qua gratia & iustitia habent virtutem merendi vitam æternam, & condignitatem cum ipsa.

Porrò si vocula Enim, in posteriori sententia contra malos significat causam, non autem in priori, certo in vno eo-

demque capite & textu paucissimis comprehenso verbis, eadem planè dictio esset æquiuoca, quod insignem pareret confusionem & scripturæ obscuritatem, & quidem tantam, vt propterea non possit iudicari tam clara, perspicua, peruia & aperta, vt vos (vestrique similes) eam prædicatis, ideoque à quouis quantumuis rudi, modo literas norit, legi permittatis: quis enim precor è vulgo, si in hunc locum incideret, eius genuinum sensum (prout vos interpretamini) consequi posset?

Quibus propositis, aduersa pars tandem concedit, Enim, non minus in priori quam posteriori sententia sumi causaliter, sed tamen animosè interim & bellè negabant denotare meritum.

Ad quod ego: Domini Ministri habeo igitur ex vobis, cum concedatis opera iustificati hominis esse causam, vt consequamur vitam æternam, quod eadem iustificati hominis opera bona prosint & iuuent ad consequendam vitam æternam: quid ergo nugamini dicentes non esse merita? neque Grammaticos vos hic agere puto, quod velitis certare de voce & nomine. Certè opera prædicta bona, merita dici debent etiam ex vestris confessis: meritum enim quid aliud est, quam libera operatio bona, erga aliquem facta, propter quam detur aliqua operanti compensatio? quid ergo prohibet, quo minus dicantur merita; cum propter ea in compensationem detur vita æterna? & quid iam fateri verentur esse meritoria vitæ æternæ dicta bona opera saltem impropriè, quòd paulò ante confessi sunt?

Hic aduersæ partis collocutores negarunt se vnquam idipsum concessisse, quod tamen D. Genius, vt euaderet vim argumenti fundati in scripturæ loco. Matth. 5. cap. ex suggestione D. Isaac fassus fuerat, semel atque iterum, imò terminos ipsos declararunt, nimirum quid sibi vellet mereri impropriè.

Ego verò, dum viderem ipsos à se dicta negare, admodum hoc factum admiratus omnes vtriusque partis & religionis.

gionis auditores appellabam, & vocabam in testes: quorum qui ex nostra parte & religione erant, cum manifestam hanc & turpem ab ipsis admissam contradictionem viderent, subridebant.

Sed, D. Doctor, dicebat quidam, ex D. Ministris, qui fieri potest, vt cum iustificatus sit filius DEI, filius autem DEI sit hæres vitæ æternæ, iamque per iustificationem habeat ius ad vitam æternam; illam per bona opera promereatur, cum dicta opera, & iustificationem, & prædictum ad vitam æternam ius consequantur, tanquam boni fructus bonam arborem.

Cui poteram respondere, quod licet infantes & rationis vsu carentes, dum baptizantur per iustificationem acquirunt, ius ad vitam æternam, sine vllo suo aut præcedente merito & opere: adultus verò dum baptizatur in ipso iustificationis instanti & puncto, per opus & actum liberi arbitrij quod tunc exercet, tum in bono affectu erga DEVM, tum in detestatione peccati, meretur (vt doctè & communiter Theologi nostri docent) vitam æternam simpliciter & absolutè, id est, in primo gradu, neque vllum inconueniens est, sed satis clara doctrina, quandoquidem illum actum liberi arbitrij in DEVM & in peccatum præcedit secundum naturam, gratia, & per hoc fuisset ei abunde satisfactum; abstinui tamen ab hac responsione, quia totum auditorium non erat illius capax. Sed sic respondi, dato quod non posset filius adoptiuus Dei per bona opera mereri vitam æternam absolutè loquendo, saltem mereri poterit augmentum vitæ æternæ per bona opera, vita enim æterna habet diuersos gradus.

Quid intelligit D. Doctor, dicebat quidam Ministrorum per gradus vitæ æternæ?

Id intelligo dicebam per gradus vitæ æternæ, quod quemadmodum solemus dicere aliquam formam vel qualitatem capacem graduum, verbi gratia calorem, vt duo, si

 fortius

fortius applicetur agens magisque ignitum, acquirere plures gradus & fieri calidum vt tria, quatuor, sex, octo, sic intelligo formam beatitudinis siue ea sit visio Dei vt D. Thomas, siue amor Dei vt Scotus cum suis, siue quid ex vtroque conflatum, vt nonnulli Doctorum tradunt, acquirere gradus, intendi & crescere.

Hic dum aduersa pars nomen D. Thom. & Scoti audirent, illorumque sententias, tanquam ineptias meras videbantur falso quodam risu aspernere.

Quibus ego, ne adeo contemnerent hosce Doctores, eorumque sententias ne abijcerent. In quo enim quærebam potest consistere vita æterna (cum certum sit eam in actione aliqua circa Deum versari) quam vel in visione intellectus, vel amore voluntatis, aut in vtroque? Dicite ergo D. Ministri, quid Vos Vestrique hac de re sentiunt, in quo vos ipsam vitam æternam statuitis.

Hic dum nil aliud adferrent (neque enim quicquam aliud adferre aut excogitare poterant) ipsos non D. Thomam & Doctores nostros, sed se irrisisse & risui exposuisse videbantur.

Quæ præcedentia verba dum paulò acrius proferrem, irrisoribusque obtruderem: D. Clemens inquit. D. Doctor: non videris ipse seruare, quas ante leges & conditiones statuisti, infringis enim primam, cum nimio vltra quam fas sit, feruore & vehementia aduersus nos insurgas.

Cui ego D. Minister: non infringo primam legem, cum enim naturæ non sit posita lex, vos me cholericum nonnihil viuacius & vehementius (sine tamen vlla vestri læsione aut offensione, cum vos debita semper sim prosecutus reuerentia) disputantem feretis, cum ego vice versa, vos melancholicos & subtristes quasi patiar.

Sentitne ergo (ad prædictam digressionem redeuntes) dicebant Ministri, D. Doctor, dari vitæ æternæ gradus? maioremque vnius & alterius fore in cælo gloriam?

Quidni

Quidni dicebam, id sentirem, cum ea sit communis Catholicorum sententia & fidei nostræ dogma. Miror tamen DD. Ministros existimare vitam æternam consistere in indiuisibili; An- *Matth. 5.* ne Christus Dominus maiorē adeptus est gloriā alijs pijs hominibus? an nō datur minimus & magnus in regno Dei? esset enim mirabile, quod ex duobus iustificatis vnus prorumpēs in heroica facta, in ijsque tota vita perseuerans non plus consequeretur gloriæ quam alter, qui ab his heroicis factis abstinuit. Quid enim absurdius dici posset, quod magis Christianis aures offendat? Si porrò quispiam esset, qui non teneretur ad quædam opera bona peragenda ex vi præcepti, sed ea liberè & ex consilio præstaret; nonne is plus reliquis, ea quæ ex præcepto obligant solum perficientibus, gloriæ mereretur?

Cum posterius hoc medium ad Ministrorū aures perueniret, subito insinuatam à me operum bonorum distinctionem inuadentes, cæteris prætermissis eam carpunt dicentes:

Hęc est vulgaris vestrę Religionis distinctio, qua opera bona distinguūt in ea quæ sūt ex præcepto, & in ea quę sunt ex cōsilio.

Quod ego admiratus quæsiui; Existimatis ne omnia opera bona esse de præcepto.

Responderunt Ministri, omnia opera bona esse de pręcepto.

Contra quem manifestum errorem argumentabar sic.

Omnia opera bona sunt de præcepto:

Sed vendere omnia quæ quis habet, & dare pauperibus, est opus bonum:

Ergo vendere omnia quæ quis habet, & dare pauperibus, est de præcepto:

Ergo D. Minister, tenetur sub præcepto vendere omnia quæ habet, & dare pauperibus.

Volui vt responderet ad formam huius syllogismi: Qui respondens, concessit maiorem, hæsitans autem aliquantulum in minore, quam confirmatam à me ex Euangelio postmodū cō- *Matth. 19.* cessit: negauit autem primam consequentiam.

Dum audirem vtraque præmissa concessa negari conclusio-

 nem,

nem, syllogismum constare sua figura & modo dixi, nec vitium vllum esse in forma, propter quod negari possit consequentia.

Ipsi rursum Ministri reclamant argumentum non esse in forma.

Ego verò ostēdi esse in prima figura & quidem in tertio modo, quod vel puer, qui Dialecticam vix à limine salutauit, potest perspicere. Petijque præberi mihi calamum, vt syllogismum eademmet qua proposueram vestitum forma in chartam cōijcerem, ne si postea repetitus ita positus fuisse negaretur. Calamus autē aliquamdiu quæsitus penes alteram erat partē, quē à tergo asseruantes concedere noluerūt, sed vt nobis de alio prospiceremus dixerunt. Quidam autem calamariam thecam obtulit, tum subito syllogismum scripsi, scriptumque alta voce legi, eumque esse in optima forma repetij.

Verum vnus aduersæ partis inter eos qui in subsidio erant, Heidelbergensis Professor vel Minister, volens ostēdere vitium syllogismi, miro verborum pondere, singulari vehementia & acrimonia syllogismum tertio negat esse in Darij, propterea quod conclusio esset vniuersalis; reperitur enim in ea, dicebat, dictio omnia, quæ est signum vniuersalis propositionis.

Quod tamen non credo ipsum dixisse, quia ita sentiret, sed partim vt haberent quod dicerent, ne omnino silere viderentur, partim vt nostrorum minuerent & sedarent applausum. Constat namque pueris, hanc dictionem, Omnia, neque in minore neque in cōclusione esse signum vniuersale, ita vt efficiat propositionem vniuersalem, quandoquidem non præfigitur subiecto; non enim est in recto casu, sed in accusatiuo, & cū terminis reliquis subiectum constituit. Ex quo certè clarè patet, quod syllogismus à me allatus, si minus eius extremum, nempe, Vendere omnia quæ quis habet & dare pauperibus; sumatur pro hoc determinato opere bono, quod sit in Darij: vel si velit, hoc idem minus extremum scilicet Vendere &c. esse terminū indefinitum, ęquipollebit semper vel vniuersali vel particulari, ita vt non effugiat, quin fateri cogatur, esse vel in primo vel tertio

tio

tio modo primæ figuræ, & per consequens perperam negasse consequentiam.

Applausus autem ille & risus Catholicorum oriebatur partim ob negationem conclusionis optimi syllogismi, partim ob secundam consequentiam quam subinferebam ex priori conclusione, nempe, Teneri D. Ministrum sub præcepto vendere omnia & dare pauperibus.

Postulantibus autem ministris à me copiam syllogismi dati in scriptis, respõdi syllogismum esse satis apertum, & quẽuis qui eum audiuit, in recenti adhuc habere memoria, cum sit in forma perspicua & euidenti, in qua etiam principium illud, quod dicitur de omni, suam vim exerit, & virtutẽ communicat: neque me teneri ad dandam postulatam copiam (vt ipsi prius non tenebantur ad dandum postulatum calamum ad eundem syllogismum scribendum) eo quod sit disputatio verbalis, & ipsi etiam iam qualitercunque respondissent, ita vt si non syllogismo, saltem in hoc respondentis muneri satisfecissent. Addidi quoque quod si ipsis à me cõcederetur syllogismi petita copia, & simul daretur facultas respondendi, fore vt tãtum possint ad eum infringendum mane, quãtum poterãt illo vesperi, supposita illa maiori propositione quæ erat illorum antea quam arguebam.

Tandem cũ aduersa pars hoc præclaro responso agmen clausisset, tenebris iam ortis cæterisque ad sua redeuntibus, ego ad nostrum Prędicatorum Conuentum me contuli. Et tantum de prima disputatione, in qua quid notandum sit in fine relationis indicabitur.

Quæ autem ab hac huius diei sessione ad alteram vsque sessionem acciderint, inter me & aduersæ partis Collocutores cum ad hoc planè negotium spectent, ea non grauabor commemorare.

CAPVT

CAPVT VII.

Vbi deteguntur ea quæ à prima seßione vsque ad secundam inter vtriusq; partis collocutores tum oretenus, tum epistolis ad colloquium pertinentia sunt gesta.

ALTERA itaque die, quæ erat Mercurij, mane è conuentu Prędicatorum egressus, me in platea offendunt duo ex aduersæ partis Collocutorum assistētibus, nimirum ille, quem superius in publico vico ad certamen me de humanioribus artibus prouocasse dixi, cū suo solito socio quodam Ministro. Qui quid causæ fuisset, cum interrogarent, ob quam heri petitum syllogismū dare recusassem, easdē quas pridiè rationes attulerā proponens, respondi: me neque ad id vlla disputantium lege teneri, neque syllogismum adeo fuisse vel obscurum vel peregrinum, ob materiam & terminos, aut ob formam, vt non potuerit sicut & cætera mente apprehendi, & memoria receptaculis inclusus asseruari. Accedit quod iam de toto syllogismo & singulis eius partibus iudicauerant, nempe Minister tunc respōdens, concessit maiorem & minorem, negauit consequentiam. Alter quoque Heidelbergensis ille voluit ostēdere vitium formæ, cùm diceret conclusionem vniuersalem, ideoque non esse in Darij, quæ certè nō præstitissent, nisi syllogismum mente tenuissent. Vnde superuacaneum fuisset, si syllogismum in scriptis vobis porrexissem.

Hæc & alia dum nos collocuti essemus, ipsique nouam quasi iam pugnam instituere vellent, tum quia non erat disputādi locus, tum quia omnis generis homines spectatum accurrebant, præsertim cum iam fama de hesternis gestis vrbem replesset, tum denique timebam scilicet, ne prædictus ille pro suo more me ad nouam grammaticalem pugnam prouocaret, ipsos salutans recessi.

Paulò

Paulò poſt dum ad bibliopolarum me cõtuliſſem officinas, ibidem me reperit D. Genius, vir ob ſingularem prudentiam & doctrinam commendandus, qui ſolita modeſtia & vrbanitate mihi idem, quod & præcedentes propoſuit de negotio ſyllogiſmi, & vt eundem repeterem poſtulauit, quem cum repetijſſem, & ipſe quædam verba de eo facere vellet, iterum ob accurrentẽ petulantium iuuenum aliorumque turbam colloquium abrũpimus, & ab inuicem ſecedimus.

EPISTOLÆ QVAS, INTER PRIMAM, ET SECVNDAM DISPVTATIONEM, VNA PARS ALTERI TRANSMISIT, ſunt hæ, bona fide tranſſcriptæ ex autographis.

Admodum Reuer. Domini & Doctiſſimi viri.

Heſterna die propter impetum populi & tumultum Veſt. Dom. felicem noctem precari non valui, rogo ne inurbanitati aſcribant, quibus omne obſequiũ oblata occaſione vnicuiq; ex Dominis reſpectiuè polliceor, interim obnixè peto, vt hodierna die vel craſtina, hora ſibi bene viſa iterum cõgrediamur, & quia ſatis de Operibus, & eorũ valore in primo cõflictu diximus ex vtraq; parte, ad alia puncta deſcendamus, ex meaq; aſsigno quæſtionem de Primatu Romanæ Eccleſiæ, ſeu de ſuprema autoritate Romani Põtificis ſuper Vniuerſalem Eccleſiam, quam nos fatemur, Veſtræ Dominationes negãt, & pro hac conſtituo me reſpondentem aut arguentem ſecundum Dominorum meorum optionem, & ſi tempus ſupererit, ad alias quæſtiones deſcendemus, Deo altiſsimo propitiãte (vt reor) in vtilitatem aſtantiũ plurimorum, quos multos noui veritatis Chriſtianæ cupidos & zeloſos.

Aſsignẽt etiã Domini mei locũ, & mihi deſignetur. Quos Altiſsim⁹ manuducat, & ad agnitionem pleniſsimã veritatis Catholicæ euehat.

Ex Conuentu Prædicatorum Francofurti die 30. Septemb. Anno reperatæ ſalutis 1609. Stylo nouo.

Veſtrarum Dominationum obſequentiſsimus

Frater Coſmas Morrelles Ordinis Prædicatorum.

Admo-

Admodum Reuerende Domine & Doctiſsime Vir.

INurbanitati non aſcribimus, quod nobis heſterna veſpere felicem noctem non ſis precatus, ſed quod per Dom. Veſt. cum tamen reſpondentiũ ad obiecta eius fungeremur officio, reſponſionem noſtram ad ſyllogiſmum tuum in Darij, vt aiebas, illi ſubſcribere paratis, non licuerit. Qui audire non vult, diſputare non debet, quod tamen Dom. Veſt. vehementer expetere videtur. Nobis vt ſcit Dom. Veſt. plurima incumbunt negotia, præſertim hoc Nundinarum tempore, quo plurimi tum abſentes per literas, tum præſentes nos ſalutare ſolent. Poſſemus itaq; nos excuſare, præſertim cum heri ſatis animaduerterimus Dom. Veſt. ſolum in colloquijs eiuſmodi audiri velle, verum ne hinc ipſe alij ve Religioni nunc Romanæ addicti, inde gloriandi occaſionem arripiant, vt fecerunt plurimi nudiuſtertius ex leuiori & ementita cauſa, parati ſumus ſecundo, tertio, quarto, imo quotieſcunque res noſtræ ferẽt, & Dom. Veſt. lubebit cõferre, nõ tantũ de vna atq; itẽ altera, ſed de omni quæ inter orthodoxã noſtrã, & veſtrã nunc Romanam Eccleſiam intercedit controuerſia. Sed hiſce conditionibus: Prima, vt eam ſententiam, quam tenet mater Dom. Veſt. nunc Romana Eccleſia, non aliam priuatam defendendam ſuſcipiat. Nam quod ad illam ſententiam, quam heri de meritis bonorum operum propoſuit, in ea à Cõcilij Tridentini aliorumq; Doctorum Romanenſium apertè ſeceſsionẽ fecit, qua in re & ipſi & nobis gratulati ſumus, & gratulamur. Altera vt cum in hoc argumento de meritis bonorum operum ſatis ſuperq; Dom. tuam audiuerimus, viciſsim duo aut tria argumenta pro Eccleſiarum orthodoxarum ſententia à nobis propoſita excipiat. Tertia, vt non plures quam octo vtrinque adſint collationis noſtræ teſtes, qui numerus vt arbitramur ſufficit ad teſtificandum de ijs, quæ à nobis proponentur. Nos quidem maiorem numerum ferre poſſemus: ſed metuendum ne Magiſtratus huius ciuitatis conuentus eiuſmodi maiores qualis fuit heſternus, aliter ac vellemus interpretetur. Deniq; vt ſtateras non afferamus doloſas ad appendendam hanc cauſam, ſiue de meritis bonorum operum, ſiue de Romano Pontifice, quem nunc Romana Eccleſia caput eſſe vniuerſalis Eccleſiæ affirmat, orthodoxa negat, ſed iuſtas illas verbi diuini quæ non ſinent nos falli nec fallere. His

aquiſsi-

Digitized by Google

quiſſimis conditionibus,ſi Dom.Veſt.nobis locum & horam in craſtinum apud ciuem aliquem Religionis noſtræ,quod facilè fieri poſſe exiſtimamus,cum multi ex veſtris apud noſtros hoc tempore hoſpitentur,aſſignari curauerit,iterum vt diximus,cum Dom.Veſt.congredi parati ſumus, defenſuri ſententiam Eccleſiæ noſtræ Orthodoxæ, vel nunc Romanæ Eccleſiæ de merito bonorum operum & Romani Pontificis vſurpata autoritate,prout vobis videbitur oppugnaturi. Quod reliquum eſt Deum Optimum Maximum, patrem omnis miſericordiæ & luminis rogamus per Ieſum Chriſtum,vt Dom.Veſt.illuminet, quo vt cæpit heri magis magiſquè à ſententia nunc Romanæ Eccleſiæ diſcedat,& ad veritatem nobis in veritatis verbo propoſitam accedat,eidemquè conſtanter adhæreat.Raptim Francofurto 19. Septembris 1609.ſtylo veteri.

Dom.Veſt. Studioſiſs.Clemens Boëſius cæteriq́; Miniſtri quos nouit.

BENEVOLVS LECTOR.

Hanc præfixam epiſtolam attentè perlegat & conſideret rogo.Reperiet enim,tum calumnias,iniurias & impoſturas,quibus præter meam perſonam totam etiam auditorum coronã, nobilium & præſtantiſſimorum virorum præſentia condecoratã, afficiunt;tum inſignes, ridiculas, & exſibilandas contradictiones quas admittunt.

Quantum igitur ad meam perſonam, eam non ſemel vellicant;ſtatim namque in initio inurbanitati aſſcribunt, quod per me,ipſis paratis, non licuerit reſpondere ad ſyllogiſmum vltimo à me propoſitum.

Deinde me audiri potius quam audire velle dicunt.

Poſt;à Romanæ Eccleſiæ Doctorumque Catholicorũ ſentẽtia me ſeceſſiſſe,vt iã illorũ cõditio indicat,falſò mihi imponũt.

Quod ad Catholicos auditores pertinet , eos licet graues viros ex leuiori & ementita cauſa occaſionem gloriãdi accepiſſe affirmant.

Contradictio autem quam admittũt in ijs continetur verbis,

partim quibus mihi gratulantur quod in puncto de valore operum ad illorum deuenerim sententiam, partim etiam in ijs in quibus se offerunt ad proponendum vnum aut alterum argumentum contra me de valore bonorum operum.

Ex quibus perspicitur D. Ministros mihi dedisse occasionem acerbè (si tamen veritas acerbitas sit) respondendi; quod etiam nunquam pro qualitate iniuriarum à me factum ęquus lector videt, vnde quod de me conquerantur non est..

Admodum Reuerendi Domini & Doctissimi Viri.

Auidè cupio in arenam vobiscum descendere, non vt velim videri aut audiri, sed vt causam Dei promoueam ac defendam, postpositis etiam magnis occupationibus quibus obruor..

Romanæ Religionis astantes non gloriabantur ementita causa, sed meritò, quia non semel sed multoties in terminis viderunt vos contradicentes vobismetipsis, præsertim dum vi argumentorum pressi fassi estis, opera procedentia à iustificato bona, esse meritoria vitæ æternæ, tametsi (vt dicebatis) impropriè. Postea verò cum hoc esset contra illud, quod in suggestu populo prædicatis, & Caluinus tenet, ac Antesignani vestri, dixistis pluries interrogatione constricti, quod nullo modo nec propriè nec impropriè per opera bona mereatur quispiam vitam æternam: contradictiones autem in palæstris excitant risum. Quando vero in terminis conclusi vltimo Domin. Minist. partim lætabantur, partim dolebant, videre populum zelosum veritatis à vobis seductum..

Petunt Domini iam conditiones quasdam, dico quod meas quatuor iterum repeto: & repetitas volo. Sum velox in loquendo & feruidus, fateor, sed est naturale, hoc tamen Domini aduertant, me vrbanè illos omnes esse prosecutum, & prosequar semper, & promitto mitius agere, & audire cum magna patientia, sed recordentur me solum tot viris doctis respondentem simul loquentibus passim celeritate loquelæ & feruore aliquo vltra communes terminos disputandi, indiguisse.

Prima cōditio quā Domini petūt, est, vt dūtaxat sententiā Matris Roma-

Romanæ Ecclesiæ defendam. Respondeo quod hæc non est conditio in rei veritate, sed introducta sub forma & velo conditionis requisita calumnia, vt denigrare meum nomen possitis; hactenus neque vobiscum neque cum alijs agens à sententia Romanæ Ecclesiæ discessi, nec discedam vsque ad extremum vitæ halitum. Quantum ad valorem operum hominis iustificati me tenuisse contra Concilium Tridentinum, & Doctores Romanæ Ecclesiæ falsum est, & (bona venia) impostura manifesta. Quod teneo est, Christum Dominum solum meruisse de toto rigore iustitiæ, sed homines iustificatos mereri vitam æternam per bona opera, non de rigore iustitiæ, quia (vt dixi cum Aristotele) serui ad supremum Dominum nulla est propria iustitia. Dixi quoque quod meremur vitam æternam de condigno, non ex substantia operum, sed ex vi gratiæ & charitatis, à qua procedunt dicta opera bona iustificati: hoc tenet Romana Ecclesia, hoc sanctus Thomas princeps Theologorum cum rectè sentientibus. Sed Domini mei, vnum dißimulandum non est, nempe contradictio manifesta in literis vestris, quibus iam respondeo; ex vna enim parte dicitis, quantum ad valorem bonorum operum me esse illuminatum, & congratulamini mihi, eo quod venerim ad vestram sententiam, ex alia parte dicitis quod vultis super hoc puncto de valore operum proponere duo vel tria argumenta contra me, vel enim vos argumentabimini contra vestram sententiam, si est verum quod sumus concordes, vel sumus discordes.

Secunda Dominorum conditio à me admittitur libentißimè, non duobus solum argumentis vel tribus, sed decem polliceor respondere diuino fretus auxilio: sed si placeat, primum ferculum erit iterum proponere argumentum, quo me existimo in terminis conuicisse vos, vt maneat liquidum, quod obnubilare per plateas multi vestrates curant; hoc quod peto consentaneum rationi est, sic Domini non denegent mihi.

Tertia conditio de numero testium est, vultis octo tantum pro singulis partibus. Respondeo quod maluissem, vt soli inter nos absque testibus disputassemus, vel sin minus, quod plures sint quam petitis: nam si soli fuissemus, vos conuicti non premeremini rubore ad veri-

 tatem

tatem confitendam, si autem magnus cætus fuerit, multis testibus facilius & clarius conuicti manebitis. Pauci igitur sunt octo, sint si placeat Dominis meis, quindecim pro singulis partibus, & tot homines intrent ex vestra parte, quod ex mea, nam estis septem vel octo Ministri, computando extraneos, & ego solus sum. Dominos autem de Magistratu non timeant, dum modestè nostra agantur, & gratia veritatis indagandæ, prudentes enim sunt, & non malè interpretabuntur; hoc enim nihil contra præsentem Rempublicam, Catholicus Romanus sum, & Domini Orthodoxi Caluinistæ (ut intellexi) quod non in ignominiam putent à me dictum.

Quarta conditio Dominorum est; quod ex verbo Dei scripto solum debeamus agere. Respondeo quod in hoc puncto ceciderunt Domini causa sua; dum enim idem prætenderent, probaui euidenter, quod propositionibus aliquando mixtis lumine naturæ cognitis efficaciter potest quisque in Theologia arguere. Quod autem dicebant lumen naturæ esse offuscatum, parum iuuit Dominos, dum argumento de duabus voluntatibus Christi, oppositum probaui manifestè, & Domini acquieuerunt: sed mirum est, quod reuoluant eundem lapidem, recordentur vtriusque luminis naturalis & supernaturalis Deum esse autorem, & lumine suo nos non fallere, quod sit offuscatum per peccata hominum est verum, sed non in omnibus propositionibus.

Autoritas Papæ non est vsurpata, sed à Christo Redemptore, ut absente ipso nobis visibiliter (expediebat enim vt iret ad Patrem) loco Christi, moderaretve vnus homo visibiliter Ecclesiam, dando nobis pastum veritatis, & continendo nos ac dirigendo in vnitate fidei: quod si Christus non ita fecisset, pessimè prospexisset Ecclesiæ, quod absit à Christiano dicere. Petunt Domini vt designem horam, designo illam, horam nonam cras prima Octobris matutinalem.

Quantum ad locum, dico me merito posse designare, domum Catholicam Romanam, quia apud Caluinistam electam à vobis fuimus in præterito conflictu, sed libenter cedo; sit igitur in domo neutrali, nempe in domo ciuis Lutherani, si placeat, quod si non, ne occasio recessui detur, placet & designo domum eandem, in qua semel disputauimus.

Si possi-

Digitized by Google

Si poßibile ſit Dominum Capuccinum intereſſe in mei gratiam à Dominis peto, quia vt bene norunt propter ipſum mota eſt hæc concertatio, & melius eſſet ſuorum dictorum reſpondendi ipſi relinquere curam, cum aßiſtentia tamen dominorum quod mihi placeret, ſed ad hoc nolo Dominos obligatos.

Altißimus Romanæ Eccleſiæ filium me conſtituit, in illa perſeuerabo, & ſicut nunquam ab ipſa degeneraui, in minimo non degenerabo, ipſo me iuuante, ad quam obnixè, diuinam Maieſtatem rogo, vt Dominos ſua potentia trahat. Ex Conuentu Prædicatorum die vltima Septemb. Anno 1609. ſtylo nouo.

Obſequentißimus Veſt. Dom.

Fr. Coſmas Morrelles quem noſtis.

N O T A.

In præcedenti ſua Epiſtola D. Miniſt. dicunt Catholicos ex leuiori & ementita cauſa gloriandi occaſionem accepiſſe. Cauſam autem ipſi reticent & tranſeunt, quæ tamen non alia fuit quam contradictiones inter diſputandum à D. Miniſt. admiſſæ, & victorioſus ſyllogiſmus vltimo ipſis propoſitus: Vnde iuſta de cauſa non ex ementita triumphaſſe Catholicos hic reſpondeo; nec callidè illud ab ipſis ſuperiori Epiſtola ſcriptum Ementita de cauſa, alio transfero, vt mihi in altera ſequenti imponunt.

Admodùm Reuerend. Domine Doctor.

CVm hac ipſa tantum hora nobis literæ tuæ reddantur, quas calumnijs & thraſonica iactantia refertas videmus; non poſſumus autem temporis anguſtia excluſi ad eas pro vt par eſt, & ratio poſtulat, quod tamen ante conuentum noſtrum fieri neceſſe eſt, iam reſpondere. Statuimus, ne nos tergiuerſari diceres, cum non accipias conditiones à nobis propoſitas, dare operam, vt alias ædes etiam hodie, ſi fieri poterit inueniamus. Illas, vbi primū cōuenimus, habere non poſſumus, nec cōſultum videtur, vt ad eas ſecundo tanta confluat homi-

hominum multitudo. Plures etiam quam octo testes vtrinque adesse non expedire existimamus, tum Dom. Vest. tum nostri causa, qui hic sumus peregrini. Misimus ad Reuerend. tuam Dom. duos viros, qui ei hac significarent, sed cum in conuentu non sit reperta hac scribimus, eique omnia fausta precamur. Raptim 21. Septemb. Anno 1609. stylo veteri.

Domin. Vest. studiosi quos nosti.

NOTA.

De Thrasonica iactantia & calumnijs, prioris epistolæ notas videat lector in fine, vbi his satisfactum. Nulla conditio mihi ab ipsis proposita, si modo aliquid præseferret rationis, est à me repudiata, vt legenti & rectè iudicanti constat; Quod autem numerum testium eum quem volebant tanquam insufficientem, non admiserim, hoc à me sine ratione factum non esse sciunt, & quiuis facilè animaduertit, præsertim cum hac ratione excluderentur qui præterita disputatione interfuerant, negatorum concessorumque memores, qui pro oblata necessitate poterant memoriam partium refricare.

Admodum Reuerend. ac Doctissime D. Doctor.

IActantiam tuam minimè miramur hodie, cum nudiustertius te plus satis cholericum & immodestum Theologum probaueris. Stateras afferri ad hanc causam, quæ Dei est, appendendam, non dolosas autoritatis humanæ, sed verbi diuini iustas voluimus: quod sciremus vobis hoc solemne esse, scripturam sacram verbum veritatis insufficientiæ accusare, ac proinde fundamentis humanæ autoritatis infirmis, dogmata vestra plurima superstruere. Rationem humanam non reiecimus ab huius causæ examinatione, nisi quatenus ea quæ Dei sunt non assequitur, & ex ea concluduntur, quæ sacræ doctrinæ non sunt repugnantia. Quicquid enim in alijs scientijs inuenitur huic scientiæ repugnans, totum vt falsum condemnandum didicimus: vnico verbo, Regulam fidei nobis verbo Dei propositam Cynosuram nostram in controuersiarum pelago vnicam esse voluimus.

Quod

Quod de ementita causa in nostris literis diximus, tu cum negare non possis, aliò callidè transfers: quod ipse si eas inspexeris, facile intelliges. Te in argumento, de meritis bonorum operum à sententia matris tuæ nunc Romanæ Ecclesiæ, quæ Concilio Tridentino continetur, & ab alijs eius maximæ autoritatis asseclis exposita est, palam discessisse, testes appellamus omnes nostros, imo etiam tuos, qui fidem quam tenent, intelligunt. Negasti enim palam opera bona facta ab eo qui in statu gratiæ est, propriè mereri vitam æternam, quam sententiam tamen, mater illa tua tenuit, & tenet, si Cardinalis Bellarminus alijque Doctores Pontificij fideliter eam explicuerunt.

Nos verò nobis ipsis contradixisse nec probasti, nec vnquam probaturus es. Impropriè enim mereri dicimus, quemadmodum & tu, sed non eo sensu, quo tu. Quod verò proponis ex literis nostris quasi ineptum & seipsum illidens, quippe qui desideremus vnum atque item alterum argumentum contra dignitatem bonorum operum afferre, & tamen scripserimus te ab Ecclesia nunc Romana sententia abiuisse planè te indignum videtur. Quid enim aliud expectare potuimus, quam te monitum, quod factum fuit negaturum? plura respondebimus aliâs, vbi plus otij nacti fuerimus. Interim quandoquidem nobis ita quodammodo abs te præscribitur, dabimus operam, vt de loco ad Conuentum nostrum prospiciamus, & hora quarta, si placet congrediamur, acturi primum (quandoquidem ita etiam vis) de palmari tuo argumento, & consilia vestra, in quibus perfectionem hominis constituitis examinaturi. Capuccinus qui heri aderat, hodie domum reuersus est, antequam literæ tuæ nobis essent redditæ, non poterit itaque adesse, quod tamen non minus quam tu, optaremus. Quod reliquum est Papæ authoritatem quam in Imperatores, Reges & Ecclesiam exercuit, & exercet, non à Christo, sed vsurpatam esse dicimus, & Domin. Vest. salutamus. Raptim Francofurti 21. Septemb. Anno 1609. stylo veteri.

Dom. Vest. studiosissimi
quos nouit.

Digitized by Google

NOTA.

1. Quod ad choleram attinet, fateor quidem me iſtius eſſe complexionis, laxaſſe tamen me ipſi habenas, & modum exceſſiſſe diffiteor.

Quod ad immodeſtiam, Norunt auditore quam modeſtos ſe ipſi Theologos & Dialecticos exhibuerint, præſertim ille D. Heidelbergenſis.

2. Num deceſſerim à ſententia Romanæ Eccleſię in puncto de valore operum, vtrãque diſputationẽ hac de re videat lector & iudicet, reperiet enim è contrario ipſos ad noſtram declinaſſe.

3. Quod verò affirmant ſe aliter accepiſſe meritum impropriè quã ego acceperim, certè ſui ſunt immemores. Terminus enim impropriè à D. Iſaac prodijt primo, eiusq; explicatio, cũ autoritate loci ex Matt. 5. preſſus fateretur, iuſtos vitã æternã per bona opera mereri impropriè, tali merito quale poteſt eſſe inter Dominũ & ſeruũ, quia inter Deũ & hominẽ nõ poteſt eſſe arcta iuſtitia: tale meritum Romanã Eccleſiã aſſerere cũ dicerẽ neq; arcti⁹, ideoq; ipſos ad noſtrã ſententiã veniſſe oſtẽderẽ, ipſi cõtra me ad illorũ deueniſſe affirmarũt, de quo & in epiſt. mihi gratulabãtur, ergo in ſententia de valore & merito bonorũ operũ ex illorũ cõfeſſione nos cõſenſiſſe cõſtat, quod tamen hic negant.

4. Petebam ſuperiori Epiſtola, vt Capuccinus ille apoſtata, propter quam inſtituta fuit hęc diſputatio, ad ſecundã adduceretur.

In hac autem ſua Epiſtola quid ad meam petitionem reſpondeant aduerte.

Vel enim hic reſpondent de Capuccino quem petebam, vel de altero iuniore etiam apoſtata qui diſputationi interfuit.

Si de priore: Iam contradicunt ſibi in eo quod eum adfuiſſe iam ſcribant primæ diſputationi, quod in ipſa diſputatione cap. 5. negabant eumque excuſabant propter occupationes: Si de iuniore, callidè vnum pro altero ſupponunt.

ALtiſſimus, Domini mei, bene nouit, aliter vos in corde ſentire, aliter ore proferre, ſed Deum tandem non decipietis, qui pandet veritatem contra vos. Veſtras iniurias ſolitas Caluiniſtis, inferri

amo-

amore Dei patior, ipse mei erit vindex, si aliquantulum acerbè scripserim (saluo tamen vrbanitatis termino) fuistis in causa, quia iniuriosam epistolam ad me hesterna die hora quarta pomeridiana misistis, & venenum iam euomere incepistis, miror tamen vos viros doctos.

Vltimæ Epistolæ inter primam & secundam hodie receptæ respondebo, quia prolixa est & plena grossis iniurijs & calumnijs. Interim dico quod nihil amplius expecto, quam vos in congressu, si velitis venire, placet ire ad ædes dicti Domini, quem designatis hora quarta, sed præsentibus quindecim ex singulis partibus, numerus minor non sufficit, tum pro re, tum propter veritatem declarandam à me postea diuulgandam, sed hoc vobis non placet nisi inter cauernas, si possetis. Si sitis Viri Docti, vt puto, quid timetis viros probos astantes, præsertim illos qui in disputatione præcedenti testes, refricare poterunt vestram memoriam in illis quæ iam negatis?

Respondeatis ad numerum testium, quia estis obliti circa hoc punctum, respondere, & tamen nescio, si callidè, per nuncium verbo intimastis mihi vestram voluntatem, expecto in bursa loco solito.

Occurrit modo hoc nempe, si non vultis quod sint nisi octo testes, placet, sed non veniat, nisi vnus Minister, & ego cum octo alijs ibo, seligatis itaque & sperate in Domino, nam si estis in tramite veritatis, à Deo Opt. Max. sperandum auxilium, in vtilitatem multorum, qui anxij sunt de veritate. Raptim ex bursa Francofurti die prima Octob. Anno 1609. stylo nouo.

Fr. Cosmas Morrelles obsequentissimus
Vestris Dominationibus.

NOTA.

Peto hic vt ex Ministris non ingrediatur nisi vnus cum octo testibus: Si enim octonarium testium ipsi volunt, iustum est vt vnus Minister, cæteris exclusis, ingrediatur; Ad quid enim reliqui? Atque hoc est quod hic clarè & apertè peto, quod tamen ipsis in sequenti Epistola dubium & obscurum fuisse patet, cum quid, vnus Minister, sibi velit, petunt declarari.

Domine Doctor. Cum abs te omnes prouocati fuerimus, miramur quid iam tergiuerſeris. An non tibi ſufficit numerus octo teſtium? Nos ne cauernas quærimus, an potius tu nos calumniaris? Si nulla noſtra conditio tibi allubeſcit, non adſtringimur tuis: & nobis erit expectandum, donec ſcriptum tuum, quo nobis minaris, diuulges. Statuito certo nos tibi reſponſuros. Vale, ſi placet quid ſibi velit illud, vnus Miniſter nobis indicato. Raptim Francofurti 21. Septemb. Anno 1609. ſtylo veteri.

Domin. Veſt. ſtudioſiſſimi
Miniſtri Eccleſiarum
quos noſti.

NOTA.

Scribunt quod nulla conditionum ab ipſis præſcriptarum mihi allubeſcat; quod falſum eſt. Illas enim quæ ſpeciem veræ conditionis habent admiſi, quare primam, cum non ſit conditio, ſed calumnia, excludo. Illam quoque te numero octo teſtium vt iniuſtam & contra rationem, reijcio, cui tamen in illorum gratiam, in hac etiam Epiſtola ſubſcribo.

Domine Miniſter & doctiſſ. vir.

Non tergiuerſor, ſed peto, vt ſint quindecim teſtes ex ſingulis partibus, quare non velint Domini, miror, & quare fugiant præſentiam teſtium, vel vnum è duobus, aut vnius Miniſter ſolus intret cum alijs octo teſtibus, non Miniſtris, & ego ſolus cum octo teſtibus intrabo, vel ſint quindecim ex ſingulis partibus, itaque tot intrent ipſi, quot nos intrabimus. Sufficiat vobis elegiſſe locum & horam ſemper, teſtes ego eligo, numero competenti, armis æqualibus. Raptim prima die Octob. Anno 1609. Ex burſa Francofurti ſtylo nouo.

Fr. Coſmas Morrelles.

CVM his tot epiſtolis, breui temporis ſpatio à prima ſeſſione habita, plurima cum aduerſæ partis collocutoribus, quę ex ijſdem epiſtolis colligi poſſunt, tractaſſem; præcipuè autem vt ad reliqua apoſtatę motiua examinãda ordine progrederemur,

impu-

impulissem: tamen vt mussitationes hasce missas faceremus, & oretenus de secundo congressu conueniremus, statim vt vltimam hanc epistolam deferendam dedissem, ardẽs quasi ad huius rei promotionem me comitãtibus optimis quibusdam Catholicis & amicis Coloniẽsibus, ad eas sum secutus ædes, in quibus, secundæ disputationi deputatis Ministri erant congregati, vnumque illorum accersiri à me curaui, per quem reliquis suis Collegis, quid ego pro parte Catholicæ Ecclesiæ hac in disputatione fieri vellem & statuissem, significabam: Ex quo etiam resciui, ipsos in ea adhuc permanere sententia de numero octonario ex vtraque parte præsentium testium, quem in epistolis suis mihi præscripserant: ego vice versa per euocatum internũtium ipsis indicaui, me, si ipsi ita agẽdum esse definijssent, admissurum quidem numerum octonarium ex vtraque parte testiũ, dummodo vnus solum Ministrorum ad cõcertandum mecum reliquis emanentibus in arenam & palæstram descendat; tũ vt hac ratione mussitationes illæ & suggestiones, imo & mei & totius auditorij perturbationes amouerẽtur, tũ vt tot veritati vincẽti testes subscriberẽt, quot errori succũbenti patrocinarẽtur.

Verum cum hoc ab ipsis extorqueri nulla ratione posset, tãdẽ ne res hæc iã omnibus notissima, & veritatis defensionem amantibus & curantibus desideratissima infecta desereretur; neque vt tot epistolæ, quas vna pars alteri miserat, essent frustra, laborque à tot tantisque personis ad hoc negotium promouendum susceptus esset cassus prorsus & suo expectato fructu fraudatus, permisi tres ex Ministrorum grege prodire, hoc vltra ipsis concesso vltro priuilegio, vt etiam vnus alteri in certamine succedere posset.

Ministri itaque è sua cohorte segregant tres quasi Antesignanos. D. Isaacum Genium, D. Clementem & alterum D. Isaac, viros profecto (quod tamen saluo reliquorum honore & nomine dico) quos ad hoc institutum noui aptissimos & selectissimos, eosque vna cum testibus suæ partis mihi enumerant: quibus ego totidem pro mea parte testes recenseo.

 Verum

Verum quid ita rebus iam vtrinque compositis nobis diuina ita disponente prouidentia, acciderit, certè cum sit admiratione dignissimum hic non possum reticere. Dum enim iã secundo congressuri locũ certaminis in ijsdem, vt dixi, ædibus adornatum intraremus, comitantibus duntaxat vt conueneramus octo vtriusque partis testibus: Ecce numerus ille testium quem adesse volebant Ministri, diuino quodãmodo nutu augetur. Cũ enim Deus velit Ecclesiam suam esse visibilem, non inuisibilẽ, neque instar candelę modio intercludi, sed super candelabrum poni vt lumen radiosque diffundat, & communicet, noluit hũc actum, qui ad Ecclesiæ suæ defensionem & propugnationẽ erat susceptus, paucis tantum personis præsentibus pertractari. Magnus namque cõgregatur rursum hominum interesse huic negotio cupientium numerus; quorũ aliqui cum graues magnæque autoritatis essent viri; precibusq; instarẽt, vt ipsis colloquio interesse concederetur, illorũ petitioni non satisfacere indecorum videbatur, atq; ideo admittebantur, reliqui aliquali impetu ingrediuntur, aulamq; in qua eramus, etiam singulari cura obstante & repugnante Domino ædium, occupant; atque ita factum est, vt numerus auditorum huius disputationis, si non excesserit vel adæquarit, saltem quam proximè præteritæ disputationis præsentium personarum multitudinem accesserit.

Præterea cum pacta in numero testium non seruarentur, reliqui qui exclusi à disceptatione erant Ministri, sibi etiam assumunt accedendi licentiam, imo se alijs tribus DDD. Genio, Isaac & Clementi, vtriusque licet partis Collocutoribus renuentibus honorificè adiungunt. Verum quod huic interfuerint disputationi Ministri me latet, dicitur autem plures huic quã alteri adfuisse: Mansuetiores autem paululum animisque sedatioribus quam nuper accedebant; Tres enim illi pradicti segregati DD. Ministri pro sua parte, quod ipsis videbatur efferebant; hoc tantum accedente inconueniente, quod D. ille Heidelbergensis siue Magister siue Minister statim in colloquij exordio se, suæ Religionis causam pro viribus propugnare conatus, immiscue-

rit,

rit. Sed non est quod quispiam ideo in admirationem rapiatur, quod se mutuo Ministri colloquendo & conspirando iuuerint, pluresque quam in pactis admissi verba fecerint, cum eousque animi passio quoscunque in rebus consimilibus & magni momenti consueuerit propellere, vt intra præscriptos conuentionis limites & terminos se continere nequeant.

CAPVT VIII.

Quod secundæ sessionis priorem partem eaque quæ in illa tractata sunt declarat: vbi ista distinctio bonorum operum in ea quæ sunt de præcepto, & in ea quæ sunt de consilio defenditur.

CVM iam secundam, 1. Octobris, auspicaremur sessionē, D. Genius ab alijs nonnihil remotus sedebat Ministris, atque inter ipsum & me interposita stabat mensa: quique huic Colloquio dans solita sua & singulari modestia initium, longam in medium protulit Orationem, in qua inter cætera exigebat, vt syllogismus ille, qui priorem gloriosè clauserat disputationē, & ob quem multum & me & meæ Religionis & partis auditores gloriari & quasi triumphare dicebat, denuò proponeretur, & examinaretur. Cuius honestæ satis petitioni (miratus tamen quod in eodem, quo constricti tenebantur adhuc soluendo hærerent nodo, morem gerens) syllogismum repetij: quem & ipse repetens singulis eius propositionibus categoricè respondit: Concedit nempe maiorem, minorem, & primam consequentiam, negabat tamen secundam quam ex prima legitimè illatam subintuli, nempe teneri D. Genium sub præcepto vendere omnia quæ haberet, & dare pauperibus.

Verū cū audirem concessa prima, secundā negari ab ipso cōsequentiā, cū aliter in hac quam in præcedēti disputatione dare solutionē, & respondere dicebam, cū iam quā prius concesserat nega-

negaret cōnſequentiam. Ipſis autem mihi in hoc non conſentientibus, ſed in contrarium nitentibus, vt fidem aſtruerem omnes vtriusque qui tunc adfuerant, Religionis appellabam auditores: imo apertiſſimè id declarabam, tū in memoriam ipſis reuocarem, quod ſyllogiſmi negaſſent cōſequentiam, cum dixiſſent eum non eſſe in forma, atque ideo mihi tunc temporis maximè incumbebat declarare bonitatem formæ, quod præſtiti oſtendendo eum eſſe in prima figura, eiusque tertio modo, nempe Darij.

Quæ mea verba dum prædictus Heidelbergenſis audiret, rurſum, vt in prima diſputatione, ſyllogiſmū negabat eſſe in Darij, eo quod cōcluſio, vt ipſe exiſtimabat, eſſet vniuerſalis. Mirabar certè in hoc homine, quod bonitatem formæ huius noſtri ſyllogiſmi non perſpiceret, & non interrogatus ſuam tueretur quā ſemel perdiderat cauſam, cum tamen clara admodum eſſet & perſpicua. Quocirca cum logicū hic agere, licet inuitus ab ipſo cogerer, atque ex Dialecticæ præceptis & regulis formæ bonitatē commonſtraſſem, ad D. Genium me conuerti, eumque ad beneficium reſtitutionis in integrum admitto, atque eiuſdem ad ſyllogiſmum, reſponſioni, quam interrogatus concedendo totum dabat, acquieui: hoc tamen ipſi opponendo, quod ſecunda conſequentia non minus eſſet vera & legitima, quam illa prior, quantumuis licet aduerſaretur, eamque negaret. Adducebatur autem ad eam negandam, non, quod non eſſet bona conſequētia, ſed quia forte in particulari & ſignanter eius pulſabat crumenam & marſupium. Hanc autem negatam conſequentiam eodem probatam medio & argumento, quo priorem, nam ſub vna maxima & vniuerſali propoſitione continentur omnes iſtius generis particulares & indiuiduæ, qualis etiam quam conſequenter intuleram erat, ſic autem argumentabar.

Vēdere omnia quæ quis habet & dare pauperibus, eſt in præcepto, cum ſit opus bonum.

Ergo tuum vendere, D. Miniſter, omnium eorum quæ habes, & dare pauperibus eſt ſub præcepto.

Hic

Hic dum vrgerem vt responderet, aliam mihi proponit quæstionē; nimirum: Num immolatio Abrahæ fuerit opus bonū? verum quia experientia & longo harum rerum vsu didiceram, tergiuersationibus & ambagibus in disputationibus veritatem plerumque solere supprimi, & obscuritatum inuolucris tegi, quo minus in lucem aliquando progrediatur, & argumentis in debita forma propositis non satisfieri, cum alio à proposito digrediendo diuertitur, quamuis potuissem interrogationi ipsius respondere, & quidem cum paruo detrimento veritatis quam probare nitebar (sciebam enim quorsum eius hæc in dubium vocata sententia tenderet) nolui tamen interrogationi satisfacere, sed magis atq; acrius, vt veritas emergeret & patefieret, institi, vt ipse iuxta pacta & conditiones disputationis, cum vices respondentis non argumentantis teneret, quantum ad hunc syllogismum, ad propositiones singulas dicti argumenti respōderet: verum extorquere responsum nulla ratione potui: Quid enim responderet, facilè quiuis potest colligere; cum vt existimo nec omnes si in vnum essent conglobati Caluinistæ, imo nec ipsorum Princeps Caluinus, si superstes adhuc esset, argumento huic satisfacere posset, omni etiam sua adhibita versutia & astutia, qua polluit plurimū, cū doceant & teneāt cū ipso, Omnia opera bona, quæ homo facit aut facere potest, esse sub præcepto, & nulla de consilio: nam cum D. Ministri vniuersalē propositionē admittant, hinc meridiana clarius est luce, quod & particularem quācunque sub illa vniuersali contentam concedere cogantur: Nēpe quod singula quęque opera bona respectu eius à quo proficiscuntur, sint in præcepto, quo quid absurdius, nemo reperiet: quod tamē sequitur ex eorū vniuersali propositione, contra quam ego argumentabar. Et quamuis hæc res satis constaret & clareret nostris, nostręque partis & Religionis auditoribus, nihilominus vt & ij qui alterius partis erāt penitius perspicerent errorē horū hominū, vlterius hac in re interrogādo progredi placuit, & non longè à præcedente materia declinans, hanc Ministro respondenti proposui quæstionē: An dare

 elee-

eleemosynam decem aureorum pauperi peregrino ostiatim stipem per ciuitatem Francofurtensem peteti, esset opus bonū?

Respondit esse opus bonum si fiat ex amore Dei & proximi.

Quæsiui secundo, num hic actus esset sub præcepto?

Respondit, esse.

Acceptis his duobus vniuersalibus responsis ad duas vniuersales quæstiones, duas alias singulares quæstiones subiunxi, vt duo particularia respōsa extorquerem, quarum prior erat hęc:

An si D. Minister daret pauperi mihi Religioso viaticum ad redeundum Coloniam, esset bonum opus?

Respondet quidem Minister aliquid, sed nec affirmat nec negat, quod quærebam; sed dicit (ac si intelligenti pauca sufficerēt) *Nos sumus alterius Religionis*. Huic meæ quæstioni, cum non respondendo, quasi responderet, nō tamen satisfaceret, eam mutata persona rursum proposui, nempe: An si largiretur Caluinianæ religionis pauperi peregrino, vt commodius ad sua reuertatur, viaticum decem aureorum, sit opus bonum, si fiat ex amore Dei & proximi?

Respondit esse opus bonum.

Posterior autem particularis quæstio erat hæc.

An teneretur ad hunc actum D. Minister sub præcepto?

Ecce dum D. Minister deberet respondere ad interrogata ipse prædictam suam cecinit de Abrahamo & filij eius immolatione cantilenam; interrogabat enim vt prius, vtrum immolatio Abrahæ esset opus bonum, & sub præcepto?

Instabam ego & vrgebam vt responderet, eo quo par est modo, & consueto in veritatis indagatione, nempe vel negādo, vel affirmando, vel distinguendo.

D. Minister nouum hic quoddam & inauditum genus respōsionis, vt suum factum tueretur profert, nēpe: Se interrogationi vni per aliam interrogationem satisfacere:

Cui respondebam; nunquam satisfacietis interrogationi per aliam interrogationem, nisi interrogatio sit respōsio, quod est impossibile. Hic dum Ministrum respondentem adeo categoricam

Digitized by Google

eam ſubterfugere reſponſionem vidi, ſane facillimum mihi erat, huius ſuæ tergiuerſationis cauſam ſubodorari, nimirum quod ideo clauſum teneret os, & labellum compeſceret, ne loculos cogeretur aperire, & viaticum pauperi erogare: nam mea interrogatio hoc ab ipſo petebat reſponſum, vt fateretur ſe teneri ſub præcepto, dare viaticum pauperi peregrino: Itaque vt ab ipſo aliquod reſponſum extorquerem, eius mutata perſona, eãdem moui quæſtionem, ſed in alterius viri capite, nimirum, Honoratiſs. cuiuſda & præſtantis Mercatoris aſtãtis, hoc modo

An ſi D. hic N. N. aſtans mercator daret peregrino pauperi viaticum, ſit opus bonum & an ſub præcepto?

In promptu ſtatim aderat D. Miniſtri reſponſio, eſſe ſcilicet & opus bonum & ſub præcepto, quæ indicabat, quam tenax eſſet in ſuo, liberalis autem in alieno ære & corio.

Accepto iam tandem qualicunque reſponſo, ad mea petita, vtramque confeſtim ab eo conceſſam propoſitionem, in libro ad id mihi in menſa propoſito annotaui, eaſque clara omnibus audientibus prçlegi voce, & vt eaſdem bene notarent, auditores monui.

PRIMA.

Dare alicui peregrino pauperi oſtiatim in magna ciuitate qualis eſt Francofurtum petenti viaticum decem aureorum amore Dei & proximi, eſt opus bonum.

SECVNDA.

Is qui dat prædicto pauperi peregrino oſtiatim petenti viaticum decem aureorum propter amorem Dei & proximi, tenetur ad hanc largitionem ſub præcepto.

Sed licet mihi parumper ab inſtituta relatione digredi, & quid de hac virorum alias Doctiſſimorum doctrina ſentiam eloqui: Miror enim certè neque ſatis mirari poſſum horũ Caluiniſtarum cæcitatem, ne dicam maleuolẽtiam, tum quod pertinaces ſint, in hiſce & ſimilibus ſuis dogmatibus & erroribus defendendis, ſimulq; credulum populum in ſuam pernitioſam pertrahant ſententiam, dum hæc è cathedris in templis ſuis

 pro-

Proclamant: Tum quia in nos profectò immeritos debacchantur,& insurgunt, dum hominum animos à Catholica Ecclesia prorsus alienant atque aduersus eandem concitant, & sic cæci cæcorum duces, Ecclesiæ Catholicæ dogmata non intelligentes, neque discere volentes fallant & fallantur. Quid enim peius & quod redoleat magis cæcitatem & maleuolentiam dici à quopiam potest; quam quod hi, qui tamen Orthodoxi se nominant & reformatores Christianæ reipublicæ prætendant esse & nominari volunt, profitentur & docent? nempe, quod omnia bona opera sint in præcepto: Ex quo manifestè sequitur, quod si quispiā indies Xenodochia visitet, infirmis auxilietur, & ministret, si peregrinos pauperes in domum propriam recipiat, ijsque omnia humanitatis officia exhibeat, si noctu surgat, duas tresve horas orando aut pia legēdo insumat, si denique similia opera bona sexcēta, quæ se pro locorū, temporū, & casuū varietate offerre possent, præstet, ad omnia hæc teneri & astringi sub præcepto, ita vt si ea omittat peccet, diuināq; incurrat indignationē & iustā vindictā, (id enim est opera esse sub præcepto) At quantū hęc pestilens doctrina ipsis vtriusque instrumenti voluminibus repugnet, quiuis modo omnem animi passionem & affectum priuatū seponat, facili negotio potest perspicere: Veruntamen nullus Catholicorū Doctorum diffitetur, quin Deus Opt. Max. ratione & iure supremi dominij omnia & singula bona opera quæ ab homine proficisci possūnt, possit exigere sub pręcepto: Ipse tamen cognoscens figmentum nostrum, nostręque fragilitatis, imbecillitatis, atque ad malum pronitatis conscius, nostris se quasi viribus (quę est eius misericordia & benignitas) accommodat, vt quędam opera bona nobis iniungat sub pręcepto, quędam etiam ad perfectionem spiritualem plurimum conducentia, nostrę libertati subiaciat, ita vt si ea pręstare velimus, possimus ad augenda merita & cœli gloriam; sin minus, non idcirco Dei in nos iram excitamus, si ea citra contemptum omittamus. Non secus ac Dominus aliquis, qui in re familiari augenda seruo suo quædam pręcepta strictissimè seruanda

manda præſcribit, quędam autem & ipſi ſeruo pro ſua induſtria ad hanc accommodata, præſtanda libera relinquit, quæ facere & non facere poteſt ſine offenſione Domini, modo ea quæ iniuncta ſunt fideliter exequatur. Pari modo Deus quanto liberalior quam homines nobiſcum qui ſerui eius ſumus, agit, quædam iniungit ſub præcepto cum comminatione pœnæ æternæ ijs qui non adimplent, quędam libera relinquit, & electioni ſubmittit opera bona, vitæ æternæ propoſito præmio, quod poſterius bonorum operum genus nos ſupererogationis appellare conſueuimus, cum hæc erogamus quaſi vltra ea, ad quæ vi præcepti obligamur, vt perfectionem eam aſſequamur, ad quam per hæc opera acquirendam nos Chriſtus Dominus eſt hortatus cum dixit: Perfecti eſtote ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. *Matth. 5.* Et quia hæc vitæ ſpiritualis perfectio à Chriſto nobis conſulitur, & omnia opera quæ ad eam aſſequendam faciunt, nobis in dicta ſententia implicitè à Chriſto cenſentur conſulta, vnde & opera bona de conſilio communiter à Doctoribus noſtris vocantur. Neque putet quis hoc quod tradimus in ſcholis noſtris à nobis primo eſſe excogitatum, cum ex ſacroſancto ipſius Chriſti ore diſtinctio hæc bonorum operum, in opera de præcepto & conſilio promanarit. Ipſe enim interroganti cuidam quid faciendum præſcriberet, vt vitam poſſet ingredi, reſpondit: Serua mandata (& hæc ſunt bona opera de præcepto) *Matth. 19.* & ſtatim dum ſe hic ea ſeruaſſe aſſereret, ſubiungit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & hoc eſt opus non de præcepto, vt ex textu innoteſcit, ſed amicabiliter à Chriſto perſuaſum: Nam ſi de pręcepto eſſet, contineretur in priori dicto, cum ait, Serua mandata, & ſic per mandatorum obſeruationem perfectus quiſpiam eſſe poſſet, neque opus fuiſſet, hunc actum ſeparatum præſcribi: Commentum autem Caluini ſuper hunc locum nihil obeſt, detorquet enim manifeſtè textum. *4. Inſtitut. cap. 3.* Et ex D. Paulo bis in eodem cap. *1. Cor. 7.* eadem bonorum operum diſtinctio clarè conſtat, dum de Virginibus ſe non præceptum Domini habere, ſed conſilium dare

 ait,

ait, vt maneant in virginitate. Constat enim quod virginitatem seruare sit opus bonum, tum quia alioquin non consuleretur à Paulo; tum etiam patet, quia Apostolus in eodem capite illam commendat exaltando illam supra matrimonium. Et in fine capitis dat consilium viduis vt maneant in viduitate, eo quod beatior est vidua sic manens, quam si nubat.

Ex quibus Christi Domini & D. Pauli verbis clare constare arbitror, hanc operum bonorum distinctionem esse veram, sanam & admittendam. Sententiam vero illam fanaticorum hominum, qua hanc distinctionem tollere & subuertere nituntur, esse prorsus falsam, illamque ex falsitatis magistro Caluino, suo
Lib. 4. cap. 13 §. 12. parente hauserunt & imbiberunt, qui hæc in suis Institut. de Religiosis personis loquitur: Aperte docent (Religiosi) se plus oneris suscipere, quam suis Christus imposuerit: quoniam scilicet Euangelica consilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non iurando, &c. se seruaturos promittant, quibus non sunt communiter astricti Christiani, Nulli vnquam veterum hoc in mentem venit: Omnes vna voce clamant, nullam penitus voculam à Christo emissam, cui non sit necessario obtemperandum, & hæc ipsa nominatim, quę isti boni interpretes Christum consuluisse duntaxat, nugantur, nulla dubitatione vbique docent. Hæc Caluinus. Verum si alicubi cæcitas Caluini & impudentia se prodit, certè hic clarissimè sese ostentat.. Hoc enim loco manifestè Caluinus declarat, se esse cæcum vel simulare se cæcum, quod ego magis credo. Nam cum vbiq; iactet & crepet Patres contra nos sensisse (cuius specimen videre est in epistola ad Regem Franciæ suis institutionibus præfixa) qua fide autem id præstet, id ex hoc vnico perspicitur, in quo vel cæcutientem esse, dum patrum monumenta volueret, vel impudentem mendacem & seductorem se probauit. Ait enim: Nulli vnquam veterum hoc (dogma scilicet de Euangelicis consilijs) in mentem venit, &c. Patres namque innumeriq; Ecclesiæ Doctores, tam Græci quam Latini, qui Ecclesiam suis monumentis illustrarunt & erudierunt, in hac omnino conueniunt expres-

pressis verbis sententia, de operũ bonorũ distinctione, in opera de pręcepto, & opera de cõsilio: Ex Gręcis hos sequentes cõsule: Orig. Ea, inquit, quæ supra debitũ facimus, non facimus ex præceptis; Verbi causa. Virginitas nõ ex debito soluitur, neq; enim per præceptũ expetitur, sed supra debitũ offertur. Euseb. Cæs. de demõst. Euang. *l. 1. c. 8.* Athan. de humanitate verbi post mediũ. Basil. Magn. lib. de vera Virginitate. Gregor. Naz. orat. 3. quæ est inuectiua prima in Iulianũ. Ioan. Chrys. hom. 8. de Pœn. Theodoretus ad cap. 7. prioris ad Corint. Elias Cretẽsis in orat. 4. Nazianz. Theophilactus ad cap. 4. prioris ad Thess. OEcumenius ad cap. 7. prioris ad Corint. Græcis Latini Patres cõsentiunt. Cypr. de habitu virginũ prope finẽ, Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianũ. Amb. epist. 82. ad Ecclesiã Vercellensem. Hieron. aduersus Iouinianũ lib. 1. cap. 7. Aug. serm. 61. de Tẽpore. Paulinus Nolanus epist. 4. ad Seuerũ Sulpitiũ. Sedulius ad cap. 7. prioris ad Cor. Fulgẽtius prologo in lib. ad Monimum. Greg. Magn. lib. 15. Moral. cap. 11. Beda ad cap. 10. Lucæ. Haymo ad Euang. domini 14. post Pentec. Anselm. ad cap. 7. prioris ad Cor. Bernard. lib. de præcepto & dispensatione cap. 1. Thom. Aquin. Bonau. Scot. Thaulerus, & cæteri. quorũ omniũ sententias, vel quas voluerit lector, videat in locis citatis, quas cupiens vitare tædium exarare nolui. Quare Caluinus, vel filij eius loco parentis, retractent & palinodiam canant, de eo quod dixit: Nulli vnquã veterum hoc in mentem venit, cum nulli non ex veneranda ferè. Veterum antiquitate idipsum in mentem venisse ostenderimus. Sed quid pluribus hic scripturæ & SS. Patrum autoritatibus lectorem vlterioris progressus cognoscendi cupidum remoramur? cum res admodum sit clara & manifesta, & à naturæ autore omnium mentibus insita, imo cum ipse Caluinus loco citato, opera de consilio admittat. Docet enim vota quidem fieri posse, sed cum adhibita cautela; consulit enim, vt non fiant perpetua sed ad tempus. Vnde certum est, quod non suaderet cautelam nisi vellet homines se non astringere ad ea à quibus possent esse liberi.

Ad c. 15. ad Rom.

Lib. 1. cap. 8.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

Quod latius opera de consilio explicat, & quædam de votis attingit.

POSTQVAM prædictas duas prælegissem toti auditorio ab aduersario admissas propositiones.

D. Genius quærit ex me (an cognoscendi an tentandi gratia ambigo) quotnam apud nos essent opera de consilio.

Cui respondi esse plurima: sed quia ea enumerare longum fuisset, quænam essent paucis indicaui: Prius facto hoc fundamento, nempe, quod cum spiritualis humanæ vitæ perfectio consistat in eo, vt homo vniatur Deo: Vnio autem hæc homi-
1. Ioan. 4. 16. nis cum Deo fit per charitatem, iuxta illud. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo: Hinc fit, vt humanorum actuum, quibus homo ad hanc perfectionem tendit, duo à nostris Theologis dentur genera, ita vt quædam opera sint, sine quibus prædicta perfectio stare non potest, atque de hisce data sunt humano generi præcepta, qualia sunt quæ in Decalogo continentur. Non habebis Deos alienos coram me, non furaberis, non mœchaberis, &c. Alia, sine quibus quidem ad prædictam cum Deo vnionem homo peruenire potest, ideoque sub præcepto nobis non iniunguntur; Verum quia per posterioris huius generis operum actus facilius & commodius homo prædictam cum Deo vnionem consequitur, ea nobis sub consilio solum proponuntur, id est, à Deo hominibus amicabiliter suadentur, vt scilicet huiusmodi actus præstent & peragant, hisque mediantibus ad Christianæ vitæ perfectionem conscendant, quam Deus homini consulit & suadet, cum in fi-
Matth. 5. lio suo nobis sic loquitur. Estote perfecti, sicut pater vester, qui in cælis est. Ex quibus facili negotio perspici potest, quot sint opera de consilio. Nempe, iuxta generalem hanc regulam tot esse consilia siue opera de consilio, quot sunt actus, sine quibus charitas manet in anima, per quos tamen facilius & commodius

dius ad ſpiritualis vitæ perfectionem tendimus, qui autem & quot ſint iſti tales actus, nullus ex dominis miniſtris interrogauit, cui interrogationi paratum habebam reſpōſum Theologicum à priori. Ad quæ D. Genius, qui, vt poſtea apparuit, ſingulare aliquid habebat aduerſus Religioſos Ordines & ſtatus, quare, vt occaſionem nanciſceretur contra hoſce diſputandi, & id quod animo voluebat expromendi, ait.

Intellexeram ſolam caſtitatem, voluntariam paupertatem & obedientiam, inter hæc de conſilio opera à veſtris numerari ſolere, & præter hæc nulla alia.

Cui reſpondi; paupertas voluntaria, caſtitas & obedientia, quæ nos Religioſi in vita monaſtica ſeruare tenemur, ſunt opera de conſilio & vocantur euangelica conſilia: per iſta enim facilius & commodius vitæ Chriſtianæ perfectionem conſequimur. Nam ea quæ hominem quo minus cum Deo vniatur, ipſique per charitatem adhæreat, impediunt, hiſce tribus remouentur conſilijs, quæ & principalia à noſtris Doctoribus nominantur, cum in eorum votis Religioſus conſiſtat ſtatus: hæc tamen ſola non ſunt, cum & alia plurima in ſcripturis reperiantur, v.g. offerre alteram maxillam percutienti, maledicenti benedicere, infirmos inuiſere, peregrinos colligere, diſtribuere ſubſtantiam in pauperes, &c. quæ aliquo modo ad prædicta reuocari atque reduci queunt. *Matth. 5. & 19.*

Hic D. Genius, dum me caſtitatem inter conſilia numerare cerneret, quod mente conceperat, edit, inquiens, Vos Religioſi & monachi ex humano præcepto caſtitatem ſeruare cogimini, vt ipſi docetis, Ergo caſtitas non eſt de conſilio.

Cui reſpondi hanc eſſe inter cæteras non minimam impoſturarum, quam nobis noſtriſque falſo affingitis, atque hanc fictam & excoctam in veſtro cerebro fabulam, plebi tanquam vnum ex maximis grauiſſimiſque noſtris erroribus perpendendam proponitis. Falſiſſimum enim eſt in Religione Catholica, ex humano præcepto caſtitatem ſer-

 uari.

uari. Reperiuntur namque quamplurimi apud nos, qui licet castitatis votum non emiserint, eam tamen integram seruant, vt sunt multæ viduæ & virgines, quæ vidualem & virgineam castitatem ex Apostoli consilio colentes, ad vitæ spiritualis perfectionem tendunt; qui vero voto ad castitatem seruandam se astrinxerunt; vt sunt, verbi gratia, qui Religiosam profitentur vitam, votum quidem ex libera voluntate nullo præcepto tam humano quam diuino compulsi, sed solo Dei consilio allecti emittunt, emissum vero ex præcepto diuino naturali & scripto, iuxta illud: Redde altissimo vota tua, vouete & reddite domino Deo vestro, adimplent. Quapropter ab humano præcepto longe hoc negotium abest, quod tamen nobis à D. Ministris imponitur, nempe nos Religiosos à matrimonio ex præcepto Papæ secundum Deum licito abstinere. Nos enim licitum vnicuique mortalium matrimonium esse fatemur, dummodo se non astringat voto ad aliud maius bonum Deoque gratius, quale est castitas.

Psalm. 49. & 75.

Quam castitatem vouetis vos Deo inquit D. Genius, cum matrimonium sit castitas, Religiosi autem vestri sint matrimonio destituti.

Nego, inquam, matrimonium esse castitatem.

Probat D. Genius autoritate D. Pauli; quamdum proferret autoritatem eam ex græco legit textu: Dixi, vt è latino suo proferret, mihi iam aliqua græca ab ijs adolescentiæ annis, quibus hisce dedi operam literis excidisse, neque interim dum veritati inuestigandæ incumberem, altissimarumque rerum me tradidissem contemplationi, ad hæc literarum studia recolenda descendisse, præsertim cum ipsa vulgata Bibliorum mihi satisfaciat versio: Legit ergo eam Latinè, & sic ratiocinabatur.

Hebr. 13. Matrimonium honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.

Ergo matrimonium est castitas.

Cuius enthymematis negabam consequentiam.

Probat

Probat D. Genius dicendo, thorum immaculatum & honorabile connubium, idem esse quod castitatem seu castum; quia immaculatum idem significare videtur quod castum seu purum.

Cui ego, si castitatem sumit in consequenti, in concreto, ita vt inferat matrimonium esse quid castum, concedo totum enthymema, quia sic nihil facit contra me; sin vero in abstracto sumit, vt sumpsit matrimonium esse castitatem, nego rursum consequentiam.

Hic negat D. Genius se dixisse matrimonium esse castitatem. Affirmo ego; fitque murmur inter auditores, nostris eum castitatem, alijsque ipsum, castum dixisse asserentibus.

Ego vt turbam sedarem, quicquid sit inquam, matrimonium non est castitas, castum autem dici potest, sed non est sermo de castitate in hoc sensu apud nos, quando castitatem vouere religiosos dicimus, sed sumitur pro abstinentia ab omni carnali copula, siue cum sua, siue cum non sua. Et hic D. Genius acquieuit, quia (vt dicebat) apud ipsos quoque castitatem sumi duobus modis.

CAPVT X.

Quod posteriorem huius disputationis partem, & quæ in ea gesta sunt enarrat.

POSTEAQVAM egissemus satis de distinctione bonorum operum in opera de consilio & de præcepto, cui disceptationi occasionem dederant ea, quæ tractaueramus de incremento cælestis gloriæ, & operibus quibus vitam æternam eiusque augmentum meremur, D. Ministri progrediuntur ad id quod secundo loco constituerant præstare, nempe iam publicè comprobare & ostendere, quod clam in epistolis crimen mihi imposuerant, nimirum, me à Doctrina Romanæ Ecclesiæ Catholicorumque Doctorum sententia, & à Concilij Tridentini definitionibus declinasse, atque ad eorum accessisse Caluinisticam opinionem, qua de causa etiam mihi plu-

rimum gratulabantur, vt ex epistolis ipsis legenti patefiet: In hoc autem me defecisse à Catholicis asserebant, quod dixissem hominem iustificatum mereri per opera bona vitam æternam iustitia impropria, ea nimirum, quæ potest esse inter seruum & supremum Dominum.

Ad hoc autem probandum aduersarij non vulgares aliquos codices, sed præstantes admodum & maximæ autoritatis produxerunt libros. Et primo proferunt locum, quasi meæ sententiæ vt arbitrabantur, è diametro oppositum, ex operibus Illustrissimi D. Bellarmini, quemadmodum in prima disputat. fecerant, qui scribit: Per opera bona homo iustificatus meretur vitam æternam propriè. Verum licet parum, aut nihil aduersum me hocce Reuerendiss. Cardin. Bellarm. loco allegato possent, cum ipse in eadem omnino nobiscum sit sententia, vt in altera disputatione insinuaui, & infra demonstro tamen sicut & ibidem, vti meo iure volui, nec priuati alicuius Doctoris opinionem, aut explicare, aut tueri: Sic quoque hoc loco, dato, quod contrarium Reuerendiss. Cardin. Bellarm. sentiret, nihil tamen omnino eius allata autoritas ad probandum aduersariorum institutum contra me posset, cum pro mea parte militet S. Thom. (cuius duo loca hac de re tractantia ad verbum prælegi) cum innumeris pene Doctoribus, quorum sententia est, solum Christum Dominum meruisse ad æqualitatem iustitiæ, cum sit Deus & homo: hominem autem purum mereri impropria iustitia, qualis est inter Dominum & seruum, Item facit pro me lumen naturale rationis, & ipse Aristoteles cum Philosophis, ipsiusque D. Pauli verba, quibus etiam ipse Cardinalis Bellarmin. vt inferius declaro consentit. Tamen si efficax aliquod argumentum contra me ad illorum institutum probandum, aliaque dogmata Theologica refutanda sumere vellent, fontes ipsis ostendi, ex quibus ea essent depromenda: videlicet, Ab autoritate sacræ Scripturæ, à Traditionibus diuinis, Apostolicis & Ecclesiasticis, à Conciliorum definitionibus approbatis à Sede Apostolica, à Decretis Pontificum, à Communi SS. Patrum

Tom. 3. homil. 5. de iustific. 1.

1. 2. q. vlt. art. 1. & 2. 2. q. 58. a. 4. ad. 1.

Loco citato.

Patrum conſenſu, & deniq; ab vnanimi Scolaſticorum Doctorũ ſententia,& cõtra me ſpecialiter ex S. Thoma, in cuius verba iuraui. Quælibet enim autoritas ex hiſce fontibus deriuata robur habet ad conuincendum: Vnius verò & alterius imo etiam multorum Doctorũ autoritas probabiliter tantum quod intẽditur concludit, præſertim ſi alij etiam Doctores ſint, qui cõtrarium prorſus tueantur. Vnde D. Miniſtri, quemadmodum ſi ex vnius vel alterius Doctoris ex veſtris etiam doctiſſimis, argumentum ad veſtra dogmata oppugnanda cõficerem, nihil plane me efficere iudicaretis, ſic quoque voſmet contra me vnius priuati ſcriptoris ex noſtris autoritate haud quicquam præſtare iudicatote.

Hæc cum ad Reuer. Card. Bellarm. autoritatem dixiſſem: Quidam ſtatim Miniſtrorum ſubridens & quaſi fictè laudando Reuerend. Card. Bellarm. labores contemnens, ait. Scripta Bellarmini ſunt à Pontifice Romano approbata.

Cui obiectioni vt ſatisfacerem non permittebar, laborem enim reſpõſionis honorati quidam viri in ſe ſuſcipiebant: Nam Colonienſes & Antuerpienſes qui aderãt Typographi, diſtinguendo Miniſtrorum obſtruebant ora, ſubridendo etiam dicẽtes: Opera Bellarmini ſunt à ſede Apoſtolica approbata vt imprimantur & diſtrahantur tanquam nihil continentia contra fidem & bonos mores.

Alius deinde Miniſtrorum; Exiſtimabam, inquit, Ieſuitas eſſe fidei & veritatis regulam in veſtra Religione.

Cui reſpondi: me non credere neque mihi perſuadere adeo ſimplicem eſſe D. Miniſtrũ, vt id quod ore loquitur, reuera mẽte ſentiat: Verum arbitror D. Miniſter te, vt in more apud vos eſt poſitum, dum ratio nulla firma vel probabilia ſuggerit argumẽta, ad noſtra oppugnanda, vt nos noſtramque Religionem, & Eccleſiam Dei ſanctam, ſaltem riſui exponatis, & odioſã reddatis, cum euertere non poſſitis, ad has & ſimiles confugiatis nugas & calumnias; iam pari aſpergere Eccleſiam ignominiæ labe. Cognitum enim vobis & perſpectum eſt, in Religione no-

ſtra Romanam Eccleſiam, quæ tum in rebus fidei decernendis & definiendis, tum in moribus Vniuerſalis Eccleſiæ componẽdis, nulli errori eſt obnoxia, eſſe omnium controuerſiarum dirimendarum iudicem, vt & à ſubſtractione præſentiæ viſibilis Chriſti, hucuſque fuit eritque ſemper, vſquedum Eccleſia hiſce in terris militare & peregrinari deſinat. Neque enim Ieſuitæ aſſiſtentem ſibi habent Spiritum S. ita vt nec falli, nec fallere poſſint, cum & ipſi non ſecus ac aliæ in Eccleſia Dei priuatæ perſonæ, humanis viribus, ſtudio, lectione, ſcientiam & ſapientiam comparent & conquirant; & multi inter eos ſint literati & docti, plurimi quoque illorum ſtudio indigeant & diſciplina.

D. Genius cernens ſe in priore probatione cauſa cecidiſſe, propter eas quas oſtendi rationes, ſimulque videns fontes, quos deſignaram, ex quibus me conuincere, ſi poſſet, deberet, ſtatim

Seſſ. 6. c. 16. à Bellarmino ad Concilium Tridenti. appellat, atque ex ipſo deſumit argumentum, vbi ſic dicebat legi: Quod homo iuſtificatus per bona opera meretur Verè vitam æternam, & vim faciebat in hac voce Verè, quaſi idem hoc loco valeret, & ſignificaret quod propriè. Quod vt negandum, ſic & à me negabatur.

Cap. 8. ibid. ſeſſ. 6. Vt autem probaret Verè idem hic quod propriè ſignificare ad expoſitionem Andradæ, qui Concilio interfuit, illudque interpretatus eſt, confugit, atque ex eius commentario oſtendere nitebatur.

Cui dicebam, dato & non conceſſo quod Andrada in expoſitione huius loci à me diſſentiret, cum ſit priuatus Doctor, non tamen poſſetis inde conuincere, quod vobis probandum incumbit.

Huic ſtatim occurrit D. Clemens, D. Doctor ſaltem fateri cogeris te à ſententia Doctorum tuæ Religionis diſcedere, quod tibi in noſtra vt ais impoſuimus epiſtola, in tua vero id negas.

Cui reſpondi: licet hic defenderem ſententiam contra vnum atque alterum aut plures Doctores (quod tamen nullo modo

facio

facio nostræ Catholicæ Religionis, me non ob id absolutè & simpliciter dici posse discedere à meæ Religionis Doctoribus, cum alij quamplurimi; imo innumeri multique grauissimi, inter quos D. Thomas, cuius verba prælegi, mihi suffragentur.

Sed cum perspicerem hoc negotium ipsis esse adeo obscurum vt præ caligine, quæ tamen nulla erat, penetrare mentis acumine, ipsum non possè viderentur, vt idipsum clarius cognoscerent me neque quicquam Reuerendiss. Card. Bellarmin. neque Andradæ, neq; Tridentino Cōcil. etiamsi expresse hanc dictionem Propriè, posuisset, contrarium in mea sententia protulisse, ipsis eam rem, si pluribus declararem operæ pretium me facturum existimabam. Itaque ad illos me conuerti.

Attendite inquam D. Ministri & hanc generalem de vsu autoritatum, ex Concilijs Decretisque desumptarum in disputationibus, ad aliquid vel confirmandum vel infringendum, notate regulam.

Quotiescunque aliquod Concilium vel Decretum Pontificū aliquam declarat sententiam ad fidem vel ad mores pertinentem, eum in finem, vt aliquam subortam hæresim eradicet, destruat atque euellat, tunc istius Concilij vel Decreti in decisione vel definitione posita verba accipienda sunt & intelligenda, quatenus ad hæresim illam extirpandam & euerentendam faciunt, neque vlterius atq; ad aliū aliquem vsum sunt extendenda. Alia namque ratio decisionum Conciliarium Decretorumque Pontificiorū est, quam Sacræ Scripturæ. Hęc enim iuxta minimum quodq; iota vel apicem à Spiritu S. inspirata, & dictata creditur & suscipitur. Atq; ideo vt ad institutū veniam: Cū Lutherani docerent omnia opera post Adæ lapsum esse peccata, imo & ipsæ virtutis actiones quæ morales dicūtur, malæ ab ipsis & iniustitiæ reputarētur, Caluinistæ, mitiores nōnihil, assererēt opera bona ab homine iustificato prouenire tāquā boni fructus ex bona arbore. Vitā tamen æternā propter bona opera hominibus iustificatis Deū in cōpensationem largiri negarent, sed eam vi solius iustificationis hominibus iustificatis vt filijs Dei

tan-

pto quamprimum calamo, in ſe Lutheri Lutheranorumque cauſam ſuſcipientes(licet hoc tempore nullæ ſectæ in Chriſtiano orbe ſint,quæ adeo inter ſe diſſidentes foueant opiniones & animos,quam Caluiniani & Lutherani, & certè quicquid poſſunt tum lingua tũ calamo aduerſus ipſos Lutheranos Caluiniani moliuntur & machinantur) me Luthero Lutheranisque iniuriam facere & imponere dicebant. Quapropter tunc pollicitus ſum, me demonſtraturũ in ipſorum Lutheranorũ operibus,in quibus id quod dixeram,non ſemel ſed ſæpius legeram. Itaq; quod tunc temporis nequiui pręſtare,cum illorum Tomi mihi nõ eſſent ad manus,vt pollicitis ſatisfaciam, & ab hac me impoſtura purgem,D.Miniſtri hos ſequentes Lutheri & Lutheranorum intueantur locos,atque eoſdem meæ propoſitioni in ſuo protocollo ſcriptæ adiungant,& ſemet & Luthero & mihi, non me Luthero Lutheranisque iniuriam facere agnoſcant & fateantur.

Luther. Iuſtus in omni opere bono peccat. *In aſſertion. art.31.32. & 36.*

Opus bonum optime factum eſt veniale peccatum.

Opus bonum optime factum eſt mortale peccatum ſecundum iudicium Dei.

Liberum arbitrium poſt peccatum eſt de ſolo titulo, & dum facit quod in ſe eſſe peccat mortaliter.

Sermone de Nouo teſtamento ſiue de Miſſa: Caueamus à peccato,ſed maxime ab operibus bonis & legibus.

Reſponſione ad Ambr.Catharinum. Ieiunium nil aliud eſt quam impia facies Antichriſti. *De votis Monaſt.*

Opus non poteſt doceri niſi lædas fidem.

Nicolaus Amsdorffius Lutheranus edidit librum quem inſcripſit:Quod bona opera ſint pernitioſa ad ſalutem,in quo inter cætera ſcribit hæc. *B.1.facie.2.*

Lutherus plus quam in vno loco expreſsè ſcribit,quod bona opera ſint pernicioſa ad ſalutem. Vt; Omnia opera etiam legis ſunt peccata, & tantum peiorem hominem reddunt. *Luth. ad Gal. Tom.5. fol.21.*

Legis iuſtitia corã Deo nihil mihi profuit ſed magis obfuit. *In poſtill. ſup. epiſt. Domin.23.*

In loc. communib. prima editione. Philippus Melanthon: Omnia hominum quãtumuis laudabilia opera, plane vitia sunt & morte digna peccata.

De articulo iustificationis. Colloquium Altenburgense: Opera bona legis & noua obedientia non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent. Lex non docet bona opera, nec idcirco prædicanda est vt bona opera peragantur.

Ibidem. Ad Satanam spectant Christiani cum operibus bonis.

Item. Paulus adeo separat opera & iustitias à salute; vt ea pro reiectamentis atque adeo damnis salutis deputet.

Item ibidem: Falsa est propositio: Opera sunt necessaria; adeo illa necessaria non sunt, vt etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa.

Hinc ergo D. Ministri clarè perspicitis, conatum illum vestrum esse irritum, & laborem prorsus esse frustraneum, quem suscepistis vt ostenderetis, me in eo quod asseruissem, iustificatũ operibus bonis mereri vitam æternam, tali iustitia qualis est inter Dominum supremum & seruum, ab antiqua Romana Catholica Religione declinasse, quam ab ea die qua primum huius lucis vsura frui mihi concessum est, nunquam ne in minimo quidem (Deo laus) deserui, quamque ad extremum vsque vitæ halitum opitulante diuinæ gratiæ auxilio non deseram, licet pro me (vt vestris literis dicitis) D. Ministri ad Deum preces fundatis. Sed, vice versa, quod ego D. Ministros à Caluini errore liberarim, & ad nostræ Catholicæ fidei veritatem confitẽdam adduxerim, propositiones illæ à D. Ministris concessæ declarabunt.

Hoc ipsum D. Ministri audientes, quasi sese mutuo contuentur, & strenuè reluctantur.

Sed vt Poeta canit.

Quod semel emissum volat irreuocabile verbum.

Memoria recenti illorum Catholicas confessiones, Caluini dogmatibus repugnantes, adhuc conseruans, eas alta voce in medium profero, simulque Ministrorum exigo vota, num sicut

ipsas.

ipſas in diſceptatione protuliſſent, ſic ijſdem in eadem perſiſtẽtes ſententia, hunc in modum:

D. Miniſtri, Prima propoſitio à vobis conceſſa eſt hæc.

Opera bona hominis iuſtificati ſunt cauſa cur detur vita æterna.

Hancne adhuc conceditis D. Miniſtri? Concedimus, aiunt eſſe cauſam.

Secunda propoſitio Catholica à vobis confeſſa, eſt hæc.

Opera hominis iuſtificati faciunt, iuuant, & proſunt ad conſequendam vitam æternam.

Confitenturne Domini Miniſtri & hanc? Confitemur inquiunt.

Tertia Catholica propoſitio, quam D. Miniſtri ſubadmiſerant, eſt hæc.

Homo iuſtificatus per opera bona meretur vitam æternam impropriè, merito ſcilicet, quod poteſt eſſe inter ſeruum & Dominum.

Hanc tertiam propoſitionem, quam à Miniſtris locus ille Matth. extorſerat; negat D. Genius ſe conceſſiſſe.

Quocirca omnes voco in teſtes, dicens. D. Auditores reuocent in memoriam in priori diſputatione D. Genium confeſſum eſſe hanc dictam propoſitionem; Nam vt vim argumenti poſſet euadere & ſacræ autoritatis, qua admodum premebatur, & ne ſilentium impoſitum ipſis videretur, D. Iſaac ſubminiſtrauit D. Genio hanc dictionem, Impropriè, cumque quærerem, quidnam indicarent hac voce Impropriè, idem D. Iſaac ad hanc vocem explicandam ſuggerit illud de iuſtitia quæ eſt inter Dominum & ſeruum, & ſi D. Iſaac, ſepoſito animi affectu ſyncerè hac in parte nobiſcum dignaretur agere, credo eius ſolius teſtimonium ad hanc rem comprobandam ſufficiens fore.

Quo dicto D. Iſaac aſſurgens nonnihil, inquit:

Verum eſt, D. Geni, hanc conceſſimus.

Poſtquam ita, vt retuli, eaſdem Catholicas propoſitiones antea à ſe

tea à se confessis nunc denuò pro meo desiderio D. Ministri approbassent, eas in librum quendam confestim conieci, & singulas vt scriptæ erant, toti auditorio, & D. Ministris rursum prælego, quas multi Auditorum in suis annotabant pugillaribus; Quibus lectis, subiunxi.

Miror admodum D. Ministri, vos hasce hoc loco confiteri propositiones, cum tamē aliud vos sentire tum libri vestræ Religionis editi, tū & ea quæ in templis ex cathedris populo proponitis, satis indicent.

Respodent Ministri, seque de hoc excusantes eorum singuli dicunt; Ego commendo bona opera in suggestu.

Verum est, dicebam ego, vt ipse audiui, commendatis opera bona, sed non eo quo par est modo, neque enim allicitis populum ad bonorum operum exercitium proposito vero præmio beatitudinis & compensatione vitę æternę, quæ retribuetur bonum perseueranter operantibus.

Respondit D. Clemens, Se hoc in suis ad populum concionibus præstare.

Cui ego, præstatis id D. Minister, vt die Dominica præterita dum vestrę elaboratæ interessem concioni audiui. Commendadabat enim D. Minister bona opera, dūtaxat ex eo quod certa signa essent iustificationis, velquod certos redderent bona operantes, tum de sua iustificatione, tum quod essent consecuturi vitam æternam.

Verum est, D. Doctor, quod ais; Respondit D. Clemens; sed qui vnum affirmat, alterum non negat.

Cui ego, licet non expresse D. Minister negauerit bona opera ad vitā æternā consequendā iuuare, tamen manifestum satis est, non procul à negatione abfuisse, quia si id quod D. Minister in sua concione intēdebat citius obtinere voluisset, nēpe vt bona opera nequaquam negligerentur, sed quiuis pro virili, eorū studium amplecteretur, certè fortius multò fuisset argumentum ad id persuadendum, si, præterquam, quod diceret opera bona esse iustificationis & viæ ad vitam æternam signum

gnum, eam etiam, pro feruenti suo ad animarum salutem promouendam zelo, protulisset atque exaggerasset propositionem, quam iterato confessi estis; scilicet bona opera esse causam cur consequamur vitam æternam: Et, per bona opera nos mereri vitam æternam, impropriè, id est, eo merito, quod est inter Dominum & seruum, &c.

Huc vsque alteram Deo iuuante cum produxissemus disputationem, vnum D. Ministris, quod in suis epistolis proposuerant perficiendum restabat, nempe vt vnum atque alterum argumentum contra Catholicæ Ecclesiæ de bonorum operum valore & meritis doctrinam proponerent, sed quia iam nox aduenerat, finem huic secundæ disputationi imposuimus; Recedentibus auditoribus qui interfuerant, amicè inter nos, nonnihil colloquimur, deinde nos inuicem, dextras iungentes, salutamus, & discedentes, seiungimur.

Et sic secunda suum quoque consecuta est finem disputatio. Sequentibus autem diebus, cum nundinæ ad finem suum appropinquarent, & vtrique Collocutorum parti, & testibus Religionis vtriusque, quamplurima adhuc superessent peragenda negotia, res eo commodè perduci non potuit, quamuis tentatum fuerit, vt cætera Transfugæ motiua, simili disceptatione, quo hic de bonis operibus articulus erat ventilatus, discuterentur atque examinarentur; sed hisce omissis ad dicta quisque se conuertebat negotia, quibus peractis nihil restabat temporis: Nam ad iter reuertendi gratia, nos accingebamus, & præparabamus, parati recessimus, & vt quiuis à suis reuocabatur negotijs, sic meum, lectiones intermissæ, Coloniam reditum expectabant. Atque ita imperfectum negotium dereliquimus.

CAPVT XI.

Quod indicat qua ratione in hisce disputationibus à sua Religione D. Ministri, quod negant, defecerint, atque ad nostram Catholicam de bonis operibus sententiam accesserint.

VERVM cum non minus absens calamo, quam præsens verbis, cætera apostatæ motiua subuertere, rationesque soluere, & nullius prorsus valoris esse queam ostendere; ideo tum quia idipsum D. Ministri à me se expectaturos, per fidelem nuncium aliquoties significari mihi curarunt, tum quia è re Catholicæ Ecclesiæ videtur esse (posset enim & alius quispiam vel Catholicus ijsdem persuasus & adductus deliramentis ad abiurandum, quod malum Deus auertat, Catholicam fidem, accedere, vel Caluinianus aliquantulum inclinans ad nostram Ecclesiam & veritatem, in sua retineri roborari & firmari hisce rationibus religione) quod oretenus fieri non potuit, Hanouiæ vel Francofurti præsens, id nunc absens, Coloniæque commorans penna supplebit.

Sed antequam eò deueniam, operęprętium erit paucis ostendere quomodo D. Ministri, suæ deserta religionis sententia, ad nostram redierint.

Propositiones itaque illæ quas D. Ministri de bonis operibus confessi sunt, omnino esse Catholicas & à Romana Ecclesia esse approbatas & receptas, tum ex ijs quæ paulo ante diximus constat, tum etiam quiuis qui vel à limine Catholicæ Religionis scriptores & Doctores de bonis operibus tractantes salutarit, nouit, atque ideo id longiori non indiget probatione.

Quod vero eædem propositiones cum Caluinisticis dogmatibus, non secus ac calor cum frigore pugnent, quamuis hoc etiam vt & prius meridiano solis iubare tam luscis quam oculatissimis sit clarius; tamen hoc bellum non abs re erit, si ex scriptis Cal-

ptis Caluini, aliquot decerptis sententiolis, comprobemus. Hinc enim quiuis facile perspiciet, partim, quam solido, firmo, fixo & immoto innitatur hac hominum genus, in rebus fidei fundamento & basi, vt etiam quotidie, non secus vt in apice turris gallus, circumagatur, & ad quemuis, quasi siue secundum, siue aduersum ventum suæ diffidens perfidiæ, vela vertat; partim quod hæc errans Religio, sicut & cæteræ hæreses, ad Ecclesiam Catholicam à qua defecerat, sicut flumina in mare ex quo exierunt, refluat, paulatimque mutando opiniones & sententias, palinodiamque canendo atque acta retractando accedat & vicinior fiat: Ad quod duplici ex capite compellitur; primo quia veritas, cum fortior sit omnibus, vincit, & suo quasi fulgore quicquid tenebrarum in animis exoritur, dispellit; deinde vt vel hac ratione Caluinianismus si non omnino deposita sua larua, Catholicam induat faciem, saltem Catholicis sententijs suæ turpitudinis tegat loca, alienis se plumis exornans, simulatamque & fictam ad decipiendum vocem assumens, sed prominentes auriculæ, quid monstri sit, quacunque licet sit tectum animalis generosi pelle, produnt. Et quamuis possim hoc ipsum, quod intendo etiam ex scriptis varijs discipulorum Caluini ostendere; tamen ex ipso fonte duntaxat ipsiusque Caluini, huius gentis & familiæ primi genitoris, voluminibus erutis hinc inde locis demõstrare sufficiet. Quos D. Ministri si intueantur, videbunt, quomodo in hisce suis confessionibus à sui parentis opinione degenerarint atque ad nostram Catholicam fidem accesserint.

Verum, ne aliquid videatur ab ipsis intentatum, me aërem verberare frustraneumque laborem, hac in parte suscipere Domini Ministri dicent; quod nimirum hasce quas confessi sunt propositiones Caluini doctrinæ oppositas & repugnantes ostendere annitar; Neque enim fortasse sibi dedecus arbitrantur quod in hoc puncto à Caluini, quem alioquin pro oraculo habent, recedant, & dogmata nonnulla ipsi prorsus contraria teneant, doceant & tueantur, quandoqui-

dem

dem in ipſo exordio diſputationis profeſſi ſunt ſe non Caluinianæ adhærere ſectæ neque eſſe aut nominari velle Caluiniſtas.

Sed dicant ipſi quicquid voluerint, ſufficit mihi imprimis, quod eo vſque ipſos adegerim & compulerim, vt ipſammet propoſitionem quam principio defendendam pro aris & focis ſuſceperant, poſtmodum, vt in confeſſo eſt, retractarint & reuocarint: Nullus enim alius meorum argumentorum erat ſcopus, quam vt infringerent & ſubuerterent motiuum illud apoſtatæ, quod falſam & erroneam, continebat de valore operum bonorum iuſtificati hominis, ſententiam, nempe hominem iuſtificatum non mereri bonis operibus vitam æternam, quod & ipſi D. Miniſtri tenebant dum dicerent bona opera, nec facere, nec iuuare, nec prodeſſe ad vitam æternam aſſequendam, cum ipſa bona opera conſequantur hominem iuſtificatum & addictum vitæ æternæ.

Deinde ſi dicant ſe hiſce ſuis aſſertionibus Caluino aduerſari, certè fateri debebunt in ſcripto ſuo, quod contra me in lucem emittent, (vt in epiſtolis ſuis proponunt & ſtatuunt) ſe nouam & inuiſam in orbem hæreticorum inuehere ſectam cum nullum ſuæ religionis agnoſcant autorem, & noua profiteantur dogmata, atque plane immeritò & non iuſto titulo à ſuis aſſeclis & auditoribus reputari & vocari Caluiniſtas.

Pergo igitur modo, progrediorque ad id quod præſtare inſtitueram: Primo enim ſi propoſitiones iſtæ quas Domini Miniſtri confeſſi ſunt ſuum debeant habere robur, certum eſt quod Caluini dogma de iuſtificatione impij, vi ipſarum funditus euertatur & tollatur.

Deinde Caluinus etiam ipſe clarè & apertè, in ſuis Inſtitutionibus & alibi contradictorias plane propoſitiones tribus iſtis aſſertionibus à D. Miniſtris confeſſis, ponit, docet, totiſque viribus tuetur ac propugnat tanquam baſin & fundamentum ſingulare ſuæ perfidiæ & ſectæ.

Quod

Quod autem quælibet propositionum à Dominis Ministris confessarum, impium illud Caluini de Iustificatione dogma euertat, radicitusque euellat, atque extirpet, vnicuique clarum & manifestum euadet, si modo animaduertat & obseruet, quæ sit ipsius Caluini de Iustificatione mens & sententia, quam hic indicare duntaxat sufficiet, cum in secunda huius opusculi parte, latius & fusius, atque ex instituto simus de ea acturi; vbi reliqua Transfugæ motiua, quæ restant, prosternere, & nullius esse ponderis & momenti declarare conabimur.

Animaduertendum itaque inprimis est, ad cognoscendam perfectius Caluini de Iustificatione doctrinam, ipsum Caluinum huic suo dogmati (vt mihi videtur) substrauisse & supposuisse fundamenti loco erroneum, & à se excogitatum principium, quod quidem ob manifestam eius falsitatem, veritus est claris verbis ante reliqua exponere, vt alias decebat, ipsaque tractandarum rerum methodus exigebat: Verum tum demum illud astutè, & subdolè introducit, & subiungit, cum sibi, suum hoc de Iustificatione somnium esset corroborandum, fulciendum & confirmandum. Quod igitur supponit in principio, est, innocentiam & iustitiam esse vnum & idem, vel saltem de ratione iustitiæ esse innocentiam, atque ideo, vt aliquis sit iustus requiritur necessario vt sit innocens, vel quod idem dictu sit, iustus, quod innocens, id est, manens in vitæ suæ integritate, ita vt nunquam defecerit, vel peccauerit, vel aliquod peccatum contraxerit (hoc ipsum enim simpliciter innocentem esse existimatur:) Quod autem hic commemoro, sese ita habere, & esse secundum Caluini mentem, attentè voluenti & perpendenti loca ex ipso citanda, innotescet. Atque hæc immota illa est rupes, super quam (vt existimo) sui erroris & sententiæ domicilium fulcit ac stabilit. Cum namque innocentia semel amissa recuperari haudquaquam possit (implicat enim contradictionem, eum qui semel peccauit, nunquam peccasse) si innocentia ipsaque iustitia vnum idemque sint, vel saltem innocentia de ratione & essentia sit iustitiæ, vt Caluinus supponit, se-

quitur profectò, semel perditam iustitiam, impossibile esse vt recuperetur: Atque hac ratione fieri nequit, vt post lapsum Adami primi parentis, in quo omnes peccauimus, eam recipiamus iustitiam, quam ipse per suam præuaricationem, & nos omnes in eo perdidimus: Atque ex his tandem consequitur & exsurgit, id quod Caluinus intendebat, nimirum homines iustificatos, in hoc, post lapsum primorum parentum statu, esse non posse iustos, propria & inhærente iustitia, & rectitudine, verum reputari solum & haberi pro iustis, & innocentibus, eo quod incorporentur iustitiæ & innocentiæ eius, qui verè iustus & innocens est, nempe Christi Domini, cum tamen reuera iusti non sint. Hanc autem incorporationem, Caluinus fieri vult per solam fidem, apprehendentem iustitiam & innocentiam Christi, quæ hominibus imputatur à Deo, & sicut, si propria innocentia & iustitia homines essent iusti, nullius reatui pœnæ essent obnoxij, ita hæc Christi imputatiua iustitia & innocentia, à reatu pœnæ eos absoluit & liberat.

Et sic Caluinus hominis iustificationem ex duobus conflat, scilicet ex Christi iustitia imputatiua & absolutione à reatu pœnæ peccatis debitæ, quam ipse absolutionem à reatu, remissionem peccatorum nominat, vt ex eodem clarè colligitur multis in locis, præsertim, lib.3. Inst.cap.11. §.3.& 4.

Atque hinc deductio Caluini suæ erroneæ doctrinæ, clara est, & perspicua, verum ex falsissimo deriuata principio, atque à maligno sibi (vt arbitror) spiritu subministrato, quia ex illo sequitur iustitiæ perditæ, à primo parente, restitutionem, diuinæ potentiæ vires excedere, Et hinc vlterius, desumit rationem aliquam, sed apparentem, omnes illas, sacræ scripturæ, autoritates, quibus significatur Deum, per Christum mediatorem, collapsum hominem reparasse, eidemque restituisse iustitiam, quam Adam perdiderat, qui iustus, propria & inhærente iustitia fuit, vt sunt illæ, in quibus clarè & manifestè regenerati, loti, mundati, iustificati, aliæque id genus, dicimur, quæ innumeræ sunt, in sacris literis, quæ cum ipsius Caluini doctrina & sententia, è diametro

Digitized by Google

metro pugnant, easdem non in eo sensu, quem pre se ferunt, acceptandi, sed à genuino, & quem dictator Spiritus sanctus intendebat, ad adulterinũ, quem Caluinus ipse volebat, detorquendi.

Ex multis autem Caluini locis, è quibus ea, quæ diximus, depromuntur, hæc sequentia hic subijcimus, vt lector perspiciat ipse & iudicet.

Rursum quid fides ipsa sit, & quæ in hominem Dei beneficia conferat, & quos in eo fructus edat, summa autem hæc fuit, Christum nobis Dei benignitate datum, fide à nobis apprehendi ac possideri, cuius participatione, duplicem potissimum gratiam recipiemus, nempe, vt eius innocentia Deo reconciliati, pro iudice iam propitium habeamus in cælis Patrem. Hæc Caluinus. *Lib. 3. Inst. cap. 11. § 1.*

Incipit Caluin⁹ introducere & vsurpare innocẽtiã pro iustitia.

Iustificabitur ille fide, qui operum iustitia exclusus, Christi iustitiam per fidem apprehendit, qua vestitus in Dei conspectu, non vt peccator, sed tanquam iustus apparet. Ita nos iustificationem simpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet, eamque in peccatorum remissione ac iustitiæ Christi imputatione positam esse dicimus. *Eodem cap. § 2.*

Vbi Paulus ait: Scripturam præuidisse, quod ex fide iustificet gentes Deus, quid aliud intelligas, quam Deum iustitiam ex fide imputare. Item, cum dicit Deum iustificare impium, qui est ex fide Christi, quis sensus esse potest, nisi fidei beneficio, à damnatione liberari, quam ipsorum impietas merebatur. *Eodem cap. § 3.*

Iustificare ergo nihil aliud est, quam eum, qui reus agebatur, tanquam à probata innocentia, reatu absoluere. Cum itaque nos Christi intercessione, iustificet Deus, nõ propriæ innocentiæ approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus. *In eodem §.*

Nec sane, quod alibi tradit, Paulus, *staret, obedientia Christi nos constitui iustos, nisi in ipso, & extra nos, iusti reputamur coram Deo.* *Eodem cap. § 4.*

Disputans Caluinus contra Osiandrum sic ait.

Ridet eos Osiander, qui iustificari, docent esse verbum forense, quia oporteat nos reipsa esse iustos, nihil etiam magis respuit, quam nos *Eodem cap. § 11.*

 iusti-

iustificari gratuita imputatione. Caluinus autem, conatur stabilire sententiam, quam Osiander ridet ex Paulo, multis autoritatibus.

In eodem §. *Iustificat autem Deus, non ex parte, sed vt liberè, quasi Christi puritate induti, in cœlis compareant.*

In eodem §. *Sed hæc est mirabilis iustificandi ratio, vt Christi iustitia tecti, non exhorrent iudicium quo digni sunt, & dum seipsos meritò damnant, iusti extra se censeantur.*

§. 21. *Nunc illud, quam verum sit, excutiamus, quod in definitione dictum est, iustitiam esse reconciliationem cum Deo, quæ sola peccatorum remissione constat.*

In fine §. *Constat itaque, quos Deus amplectitur, non aliter fieri iustos, nisi quod abstersis peccatorum remissione maculis, purificantur, vt talis iustitia, vno verbo, appellari queat, peccatorum remissio.*

§. 23. *Hinc & illud conficitur, sola intercessione iustitia Christi, non obtineri, vt coram Deo iustificemur, quod perinde valet, ac si diceretur, hominem non in seipso iustum esse, sed quia, Christi iustitia, imputatione, cum illo communicatur.*

In eodem §. *Vides, non in nobis, sed in Christo esse iustitiam nostram, nobis tantum, eo iure, competere, qui Christi sumus participes.*

In eodem §. *Quid aliud est, in Christi obedientia collocari nostram iustitiam, nisi asserere, eo solo, nos haberi iustos, quia Christi obedientia nobis accepta fertur, ac si nostra esset.*

Cap 13. §. 5. *Ergo quicunque garriunt, nos fide iustificari, qui regeniti spiritualiter viuendo, iusti sumus, nunquam gustarunt gratiæ dulcedinem, vt Deum sibi propitium fore, considerent.*

Cap. 14. §. 12. *Acceptantem enim, quam vocant, gratiam, non aliam esse respondeo, quam gratuitam eius bonitatem, qua nos in Christo complectitur Pater, dum innocentia Christi nos induit, eamque fert nobis acceptam, vt eius beneficio pro sanctis, puris & innocentibus nos habeat: iustitiam enim Christi (quæ vt vna perfecta est, ita sola Dei conspectum sustinere potest) pro nobis sisti oportet, ac iudicio repræsentari, sed vt sponsorem, hac nos instructi, assiduam peccatorum remissionem in fide obtinemus, huius puritate velatæ nostræ sordes, & imper-*

perfectionum immunditiæ, non imputantur, sed, velut sepultæ, conteguntur, ne in iudicium Dei veniant.

Eam porro iustitiam definimus, quod in Christi communionem receptus peccator, eius gratia Deo reconciliatur, dum illius sanguine purgatus, peccatorum remissionem obtinet, & iustitia non secus, ac propria vestitus, coram cœlesti tribunali securus subsistit. Cap. 18. §. 8.

Porro, vnde venia, nisi quia Deus nos & nostra omnia in Christo intuetur? quemadmodum ergo nos ipsi vbi in Christo insiti sumus, ideo iusti apparemus, quia eius innocentia conteguntur nostræ iniquitates, sic opera nostra iusta sunt & habentur, quia quicquid alias vitij in ipsis est, Christi puritate sepultum non imputatur: Ita meritò dicere possumus, sola fide nō tantum nos, sed opera etiam nostra iustificari. Ibid. §. 10.

Iustificari enim dicimur, à Paulo, cum obliterata iniustitiæ nostræ memoria, iusti reputamur. Ibid. §. 12.

Sola Dei misericordia & merito constat nostra iustificatio, quam dum fides apprehendit, iustificare dicitur. Cap. 18. §. 8.

Vnam Dei misericordiam amplecti conuenit, cum de iustificatione agitur, & auerso à nobis aspectu, vnum Christum intueri. Non enim illic quæritur quomodo iusti simus, sed quomodo iniusti, licet ac indigni pro iustis habeamur. Cap. 19 §. 2.

Ex citatis hisce Caluini locis, manifesta sunt duo illa quæ supra diximus: Vnum est, principium illud & fundamentum suæ de Iustificatione sententiæ, nimirū quod idem sit, iustitia quod innocentia, vel quod de ratione & essentia iustitiæ sit innocentia, quod clarè satis & perspicuè designat capite vndecimo, paragrapho tertio, & capite decimo quarto, idemque insinuat capite decimo septimo paragrapho decimo, allegatis & in alijs multis locis non citatis dicti libri. Ex quibus quisque facilè animaduertere & colligere potest, eam quam deteximus esse Caluini mentem.

Alterum, opinionem illius de iustificatione non esse aliam præter eam quam supra diximus; nempe iustificationem nostrā consistere in imputatiua Christi iustitia appræhensa per fidem.

Missas pro nunc faciamus huius hominis cōtradictiones in hac materia; paragrapho enim vigesimo primo; capitis vndecimi expresse tenet nostram iustitiam consistere in sola remissione peccatorum; paragrapho autem secundo dicti capitis, vbi ex professo resoluit quæstionem, de Iustificatione concludit, iustitiam nostram consistere in Christi iustitia imputatiua & remissione peccatorum simul. Sed hanc atque alias plurimas consimiles de hac Materia, in Caluini scripta discordantes sentētias, modo prętereo, easque ad disputationem vsque, de Iustificatione in altera Opusculi parte proponendam, suspendo. Hoc vero de eius constat iam mente, quantum ad præsens institutum attinet, eum velle nos extrinseca iustitia esse, & vocari iustificatos, iustos tamen non esse, sed apparere & reputari, & manere iniustos, impios & inquinatos, quantumuis licet iustificati simus: Sordes autem hasce nostras & inquinamenta tegi à iustitia & innocentia Christi. Quid autem ex hisce colligatur, clarè cuiuis attendenti constat: nimirum nullum iustitiæ actum posse ab homine, quantumuis iustificato procedere; quod & ipse Caluinus non negat, sed tanquam ex hisce suis dictis principijs deductū lubens asserit ac fatetur. Et certè si alicubi, maximè tamen in hoc infensissimum hostem acerrimūque oppugnatorē operum iustitiæ se declarat & exhibet, cum nullam aliam, quā solā fidei, vult admittere, illam scil. imputatiuam Christi, quam fide apprehēdimus: iustificati autē hominis opera non iusta reputat, sed ea omnia, eiusdem valoris, pretij, & qualitatis, cuius sunt opera quæ ab homine nō iustificato proficiscūtur, ęstimat.

Ex innumeris autem pęnè Caluini locis, ex quibus sentētiam ipsius esse, quam dicimus, hæc quæ sequntur, selecta declarant.

Lib 3. inst. c. 11. §. 13. *Cum iustitia fidei sociari nullo modo, iustitia operum potest.*

Ca. 12. §. 4. *Qui autem serio, tanquam sub Dei conspectu, de vera iustitiæ regula quærent, illi certò comperient, omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse, & sordes, & quæ iustitia vulgo habetur, eam apud Deum, meram esse iniquitatem, quæ integritas censetur, pollutionem, quæ gloria dicitur, ignominiam.*

Duæ

Duæ ſunt potiſſimum nobis abigendæ hac in parte, ex animis peſtes, ne quid, in operum iuſtitia, fiduciæ ponant, &c. Ca.14.§.16.

Si operibus fulciatur iuſtitia, corruere protinus à conſpectu Dei neceſſe ſit, ſola Dei miſericordia, ſola Chriſti communicatione, ideoque ſola fide contineri. Ca.15.§.1.

Vocet igitur dominus in iudicium, quæ in humanis operibus optima ſunt, ſuam in illis quidem iuſtitiam ugnoſcet, hominis vero dedecus & probrum. Cap.16.§.1.

Hæc tantum intereſt, quod cum fidem & bona opera, neceſſariò in eodem inter ſe cohærere fateamur, in fide tamen, non operibus, iuſtificationem ponimus. In eod. §. 1.

Gratum enim opus, tum demum eſſe incipit, vbi cum venia ſuſcipitur. Porro vnde venia, niſi quia Deus nos & noſtra omnia, in Chriſto intuetur? Quemadmodum ergo nos ipſi, vbi in Chriſtum inſiti ſumus, ideo iuſti apparemus coram Deo, quia eius innocentia conteguntur noſtræ iniquitates, ſic opera noſtra iuſta ſunt, & habentur, quia quicquid alias vitij in ipſis eſt, Chriſti puritate ſepultum, non imputatur. Ita meritò dicere poſſumus, ſola fide, non tantum nos, ſed opera noſtra iuſtificari.

Inde omnium operum adminiculo exuti ſola fide iuſtificari. Ca.17.§.19.

At ſcriptura nos vltra humiliat, & ſimul erigit; nam præterquam quod in operibus gloriari vetat, quia ſunt gratuita Dei dona, ſimul fæcibus quibuſdam ſemper inquinata eſſe docet: vt Deo ſatisfacere nõ poſſint, ſi ad iudicij eius regulam examinentur. Ca.18.§5.

In prędictis autoritatibus, nõ videtur clare excludere Caluinus operum omnium iuſtitiam, poſſet enim aliquis dicere, ipsũ loqui, de operibus pręcedentibus primam iuſtitiam, ſed quia ad vnicam duntaxat fidei iuſtitiam recurrendum eſſe ſemper clamitat, (hæc enim eſt vnica illa, quàm toties, inſtar Cuculi, ingeminat cantilenã) hinc innoteſcit ipſum in recenſitis iſtis autoritatibus, multisq; alijs, quas breuitatis ſtudio tranſimus, de iuſtificati & nõ iuſtificati hominis operibus indiſcriminatim ſentire.

Accedamus iam ad illa loca, in quibus expreſsè loquitur de operibus, ab homine iuſtificato, pronenientibus.

Habe-

Missas pro nunc faciamus huius hominis cōtradictiones in hac materia; paragrapho enim vigesimo primo; capitis vndecimi expresse tenet nostram iustitiam consistere in sola remissione peccatorum; paragrapho autem secundo dicti capitis, vbi ex professo resoluit quæstionem, de Iustificatione concludit, iustitiam nostram consistere in Christi iustitia imputatiua & remissione peccatorum simul. Sed hanc atque alias plurimas consimiles de hac Materia, in Caluini scripta discordantes sentẽtias, modo prętereo, easque ad disputationem vsque, de Iustificatione in altera Opusculi parte proponendam, suspendo. Hoc vero de eius constat iam mente, quantum ad præsens institutum attinet, eum velle nos extrinseca iustitia esse, & vocari iustificatos, iustos tamen non esse, sed apparere & reputari, & manere iniustos, impios & inquinatos, quantumuis licet iustificati simus: Sordes autem hasce nostras & inquinamenta tegi à iustitia & innocentia Christi. Quid autem ex hisce colligatur, clarè cuiuis attendenti constat: nimirum nullum iustitiæ actum posse ab homine, quantumuis iustificato procedere; quod & ipse Caluinus non negat, sed tanquam ex hisce suis dictis principijs deductū lubens asserit ac fatetur. Et certè si alicubi, maximè tamen in hoc infensissimum hostem acerrimūque oppugnatorē operum iustitiæ se declarat & exhibet, cum nullam aliam, quā solā fidei, vult admittere, illam scil. imputatiuam Christi, quam fide apprehēdimus: iustificati autē hominis opera non iusta reputat, sed ea omnia, eiusdem valoris, pretij, & qualitatis, cuius sunt opera quæ ab homine nō iustificato proficiscūtur, ęstimat.

Ex innumeris autem pęnè Caluini locis, ex quibus sententiam ipsius esse, quam dicimus, hæc quæ sequuntur, selecta declarant.

Lib 3. inst. c. 11. §. 13. *Cum iustitia fidei sociari nullo modo, iustitia operum potest.*

Ca. 12. §. 4. *Qui autem serio, tanquam sub Dei conspectu, de vera iustitiæ regula quærent, illi certò comperient, omnia hominum opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta esse, & sordes, & quæ iustitia vulgo habetur, eam apud Deum, meram esse iniquitatem, quæ integritas censetur, pollutionem, quæ gloria dicitur, ignominiam.*

Duæ

Digitized by Google

Duæ sunt potissimum nobis abigendæ hac in parte, ex animis pestes, ne quid, in operum iustitia, fiduciæ ponant, &c. Ca.14.§.16.

Si operibus fulciatur iustitia, corruere protinus à conspectu Dei necesse sit, sola Dei misericordia, sola Christi communicatione, ideoque sola fide contineri. Ca.15.§.1.

Vocet igitur dominus in iudicium, quæ in humanis operibus optima sunt, suam in illis quidem iustitiam ugnoscet, hominis vero dedecus & probrum. Cap.16.§.1.

Hoc tantum interest, quod cum fidem & bona opera, necessariò in eodem inter se cohærere fateamur, in fide tamen, non operibus, iustificationem ponimus. In eod. §. 1.

Gratum enim opus, tum demum esse incipit, vbi cum venia suscipitur. Porro vnde venia, nisi quia Deus nos & nostra omnia, in Christo intuetur? Quemadmodum ergo nos ipsi, vbi in Christum insiti sumus, ideo iusti apparemus coram Deo, quia eius innocentia conteguntur nostra iniquitates, sic opera nostra iusta sunt, & habentur, quia quicquid alias vitij in ipsis est, Christi puritate sepultum, non imputatur. Ita meritò dicere possumus, sola fide, non tantum nos, sed opera nostra iustificari.

Inde omnium operum adminiculo exuti sola fide iustificari. Ca.17.§.19.

At scriptura nos vltra humiliat, & simul erigit; nam præterquam quod in operibus gloriari vetat, quia sunt gratuita Dei dona, simul fæcibus quibusdam semper inquinata esse docet: vt Deo satisfacere nõ possint, si ad iudicij eius regulam examinentur. Ca.18.§5.

In prędictis autoritatibus, nõ videtur clare excludere Caluinus operum omnium iustitiam, posset enim aliquis dicere, ipsũ loqui, de operibus pręcedentibus primam iustitiam, sed quia ad vnicam duntaxat fidei iustitiam recurrendum esse semper clamitat, (hæc enim est vnica illa, quàm toties, instar Cuculi, ingeminat cantilenã) hinc innotescit ipsum in recensitis istis autoritatibus, multisq; alijs, quas breuitatis studio transimus, de iustificati & nõ iustificati hominis operibus indiscriminatim sentire.

Accedamus iam ad illa loca, in quibus expressè loquitur de operibus, ab homine iustificato, pronenientibus.

Habe-

tia,& innocentia Christi,à qua etiam extrinsecè denominātur iusta,quo tamē tegmine & denominatione ea, quæ à nō iustificato opera fiunt,destituuntur,interim autē,secundum illum,in se & ex se vtriusque, tam iustificati quam nō iustificati hominis opera polluta & peccata perseuerant, Deoque infens[illegible], sed intuitu iustitiæ Christi, eiusdemque innocentiæ,ea, talia vt in se sunt,à Deo non reputantur.

Hāc igitur declaratam Caluini de iustificatione sententiam, vniuersas & singulas illas propositiones, à Dominis Ministris concessas euertere,tam clarum est,vt eo, vix quicquam clarius, dici ac reperiri posse existimem. Nam si hominis iustificati bona opera,faciunt,iuuant & prosunt ad æternæ vitæ beatitudinē consequendam,quæ erat vna ex propositionibus tribus, certè homo iustificatus talia opera producens ex se,& in se iustus existat,Deoq; gratus sit,necesse est,non autem ipsi ex se infensus & ingratus, perq; alienam solum iustitiam acceptus; Imo restitutum eum esse oportet, & reductum ad rectū vitæ spiritualis tramitē,in quo primus noster parēs cōstitutus fuit, antequā diuinam,sibi præscriptam, inobediendo transgrederetur legē, vt in eo ambularet: nēpe cū bona intellectus & volūtatis dispositione,quatenus supernaturalia sibi proposita credēdo, Deūq; super omnia diligendo,in eodemque suam spem & fiduciā collocando,in ipsum tenderet,illumq; tandē in seipso possideret.

Atque hac ratione,si dicta Ministrorum propositio est vera, corruat illud Caluini dogma, quo nos iustificari extrinseca iustitia docet,necesse est.

Idem quoque,ex alia,eorundem D.Ministrorum, assertione, qua confitebantur bona opera hominis iustificati esse causam consequendæ vitæ æternæ,colligi patet;nam si sunt causa, profectò faciunt,iuuant & prosunt ad consecutionem vitæ æternę, quandoquidem nihil magis adiuuare & conducere dici potest ad aliquid,quam eius causa; Et sic ex hac secunda aduersariorū etiam,quod ex prima,contra Caluinum, id quod intendimus, clarè deducitur.

M Quod

Quod vero tertia & poſtrema propoſitio, à D. Miniſtris profecta, nẽpe hominẽ iuſtificatũ, per bona ſua opera, mereri vitã æternam, eo modo, quo ſeruus mereri poteſt apud Dominum, iam ſæpe repetitum Caluini, de Iuſtificatione, execrandum dogma, tollat & annihilet, non eſt magni laboris commonſtrare. Seruus namque, qui ob ſuas nequitias, quas contra dominum commiſit, Domino ſuo eſt infenſus & exoſus, nulla ratione apud eundem mereri poterit, cũ potius indignationem contraxerit, pœnæque debitæ ſit obnoxius; multò autem minus idem apud Dominum ſuum ſeruus merebitur, ſi nihil boni in obſequium Domini, ob fractas debilitatasq;, per ſolam malitiã, vires denuo præſtare poſſit. Imo remotiſſimè ab omni abſcedet merito, ſi ijs quæcunq; indies cogitat, molitur, & facit, nouis recentibusq; sẽper Dominũ afficiat iniurijs, moleſtet ſceleribus, & offenſis irritet. Quod ſi Dominus tali ſeruo, intuitu alicuius ſibi grati amici, qui pro ſeruo intercederet, delicta præterita, & quæ indies cõtra Dominũ, ſine interruptione, patrat ſcelera, dicto ſeruo nõ imputaret, & ſi vlterius eundẽ, idẽ Dominus, vt aliquã pinguẽ hęreditatem perciperet, dictũ ſeruũ addiceret ac deſtinaret, ſummum & vnicum beneficium, extra totam rationẽ meriti, eidem præſtiturum non eſt dubium.

Quapropter, cum iuxta Caluini dogma, homo iuſtificat⁹, ſceleratus, iniuſtus, Deo infenſus, peccatorũq; ſordibus inquinat⁹, & infectus, in rei veritate perſeueret, nihilque quod Deo placet, & in ipſius conſpectu ſit gratũ & acceptũ, propter debilitatas vi-
Lib. 3. Inſt. cap. 17. §. 7. res, vt Calu. clarè blaterat, operari poſſit, imo, omnia ea opera, quæcũq; molitur & patrat, infecta ſint & polluta, non modo reſpectu hominis, à quo proueniunt, verùm etiam in ſe, abſolutè conſiderata, vt Caluinus loco ſupra citato aſſerit, dum dicit.
Lib. 3. Inſt. cap. 17. §. 9. *Ita nullũ extare bonũ opus cõcedere cogetur quiſq;, quod non, & appoſitis ſibi tranſgreſſionibus, & ſua ipſius corruptione pollutũ ſit*: Certũ eſt, quod iuſtificatus ille homo, nec mereri apud Deũ, eo modo, quo ſeruus apud Dominũ poſſit, ſed ſummũ beneficiũ, & vnicus fauor, ſecluſo omni genere meriti, qui tali homini à Domino.

mino Deo præstari possit, est, si ea quæ hucusq; admisit peccata, & in quib9 adhuc volutatur indies, à Deo ipsi nō imputātur, atq;, vltra hoc, si ad æternæ beatitudinis gloriā destinetur, idq; ob intuitū Iustitiæ Christi, quæ homini à Deo, vt propria imputatur.

Vnde etiā, ipse Calu. consequenter in sua doctrina loquēs, vnū quoddā nobis refugiū, & asylū, ad quod sēper confugiendū, cōsulit, etiā pro bonis nostris operibus, quæ in toto vitæ decursu, post iustificationē, peragim9, ne eorū detegātur sordes, & immūditiæ (vt ipse dicit) nēpe assiduum fidei exercitiū, quo veluti clypeo quodam tecti, intrepidè, in diuinum audeamus prodire conspectum, diuinoq; tribunali nos sistere, dū hęc verba scribit:

Iustitiam.n.Christi (quæ vt vna perfecta est, ita sola Dei conspectū sustinere potest) pro nobis sisti oportet, ac iudicio repræsentari, sed vt sponsorem, hac nos instructi, assiduam peccatorum remissionem, in fide obtinemus, huius puritate velatæ nostræ sordes & imperfectionū immunditiæ, non imputantur, sed velut signatæ conteguntur, ne in iudicium Dei veniant: Item, alibi loquens expreßè de operibus bonis, ab homine iustificato procedentibus, sic ait: Lib. 3. Inst. cap. 14. §. 12.

Nisi perpetuo maneat solida fidei iustificatio, illorum immundities detegetur, nihil autem absonum est, sic fide hominem iustificari, vt nō ipse modo iust9 sit, sed opera quoq; eius supra dignitatē iusta cēseātur. Lib. 3. Inst. cap. 17. §. 6.

Quocirca dicere, opera iustificati hominis esse meritoria vitæ æternæ, quantumuis licet, merito modificato, quod scilicet est inter Dominum & seruum, nihil sanè aliud est, quam destruere à posteriori sententiam Caluini, de Iustificatione.

Declaratū est satis superq;, hasce tres propositiones, D. Ministrorum, Caluino aduersari, in articulo de Iustificatione; Iā easdem subuertere alia dogmata eiusdem Caluini ostendemus.

Nam inprimis, si opera hominis iustificati iuuant, prosunt, faciunt ad consequendam vitam æternam, vel si sunt eius causa aut meritum, consequens est, quod sint opera iustitiæ; nam vbi est meritum & compensatio, ibi Iustitia, & si rigorosum & arctum meritum & compensatio, ibi Iustitia astricta, & si modificatum meritum, & compensatio, tēperata Iustitia. Relinquitur

 igi-

igitur, quod ab homine iustificato, promanare possint opera iustitiæ, cuius tamen oppositum, in supra allegatis locis, Caluinus docet, ac pro viribus tuetur.

Præterea, vita æterna secundum Caluinum, datur filijs Dei solo iure hæreditario, cum autem secundum eundem, constituantur filij Dei, per fidem, apprehendentem imputatiuã Christi iustitiam, sequitur, quod vita æterna nulli ex humanis actibus correspondeat, præterquam actui fidei; non ergo propter opera hominis iustificati, datur vita æterna: Vnde restat, quod, salua manente doctrina Caluini, propositiones tres prædictæ, stare non possint; Quod autem vita ęterna, tanquam hęreditas duntaxat filiorum Dei, detur, Caluinus docet, multis in locis, præsertim dum dicit.

Lib.3.Inst. Cap.15. §.6. *Proinde simul, atq; per fidem insertus es Christo, iam filius Dei factus es, cœlorum hæres, iustitiæ particeps, vitæ possessor, ac (quo melius eorum mendacia coarguantur)* Loquitur enim de Catholicis, *non adeptus merendi oportunitatem, sed omnia Christi merita, siquidem tibi communicantur.*

Cap.8.§.2. *Principio istud sancitum sit in cordibus nostris, regnum cœlorum, non seruorum stipendium, sed filiorum esse hæreditatem, quam soli potientur, qui à domino in filios coaptati fuerint, neque aliam ob causã, quam ob hanc adoptionem.*

Sed quid hunc superfluum quasi impendo laborem, dum per deductiones, & consequentias nonnullas ostendere conor, hasce tres à D. Ministris confessas propositiones, Caluini dogmatibus esse prorsus contrarias, eò quod pręcipua quędã eius fundamenta, quibus multa alia superędificata suę sectę mysteria, tanquam solido innituntur saxo, subuertunt? Quandoquidem, in eiusdem Caluini operibus, quãplurima reperiuntur loca, quorũ non modo sensus, sed & ipsa propemodum verba, harum propositionum sensui, singulisque verbis repugnant, & contradicunt, vt in sequentibus antithesibus Caluini & Ministrorum verum esse, quiuis facilè poterit perspicere.

Prima

Prima propositio D. Ministrorum est hæc:

Opera bona hominis iustificati sunt causa, cur detur vita æterna.

Cui Caluinus se opponit.

Verum, si quatuor causarum genera respicimus, quæ in rerum effectu considerare præcipiunt Philosophi, nullum eorum reperiemus operibus in constituenda salute nostra conuenire. Lib. 3. Inst. ca. 14. §. 17.

Id tamen rursum teneamus non pendere ab operibus fidelium complementum; salus æterna, nam de hac hic loquitur. Lib. 3. Inst. cap. 17. §. 6.

Si autem vita ęterna non pendet ab operibus, cum omnis effectus dependeat à sua causa, opera non erunt causa, secundum Caluinum vitæ æternæ consequendæ.

Secunda propositio ab ijsdem concessa est hæc:

Opera bona hominis iustificati faciunt, iuuant, & prosunt ad consequendam vitam æternam.

Cui Caluinus contradicit.

Sic Dauid antequam salutem sibi ex Dei eloquio postulet, causam primum statuit in eius misericordia: Veniant, inquit, *ad me misericordiæ tuæ, salus tua secundum eloquium tuum. Et merito, quia non aliunde ad promittendum inducitur Deus, nisi ex mera misericordia: Itaque hic spem totam sistere conuenit, & velut profunde figere, non respectare ad nostra opera, quod ex illis subsidium aliquod petatur.* Eodem lib. cap. 13. §. 4.

Quare dum operum fiduciam excludimus, hoc volumus duntaxat, ne mens Christiana ad operum meritum, velut ad salutis subsidium reflectatur. Cap. 14. §. 16.

Tertia propositio quam D. Ministri sunt confessi sequitur.

Homo iustificatus, per bona opera meretur vitam ęternam improprie, merito scilicet, quod potest esse inter seruum & Dominum.

Cui Caluinus aduersatur.

Contra hanc assertionem de directo facit cap. 15. 16. 17. & 18. lib. 3. Instit. In quibus Caluinus totus est in impugnando merito

bonorum operum, nihilque adeo ægrè fert, quam quod meriti nomen sit in Ecclesiam cum magno eiusdem detrimento & pernicie ab antiquis scriptoribus introductum: sic enim in hoc inter cætera loquitur.

Eodem lib. cap. 13. §. 4. *Cuius isthæc fidei natura est, aures arrigere, oculos claudere, hoc est, vni promissioni intentam esse, cogitationem auertere, ab omni hominis vel dignitate, vel merito.*

Cap. 15. §. 3. *Quæ ista est malignitas non contentos,* (Catholicos) *illa Dei largitate, quæ nihil tale merentia opera, in debitis præmijs muneratur, sacrilega ambitione vltra contendere, vt operum meritis videatur rependi, quod diuinæ totum est munificentiæ.*

Cap. 16. §. 1. *Impiorum quorundam impudentia, qui calumniantur nos abolere bona opera, atque ab earum studio abducere homines, cum dicimus eos non iustificari ex operibus, nec salutem mereri.*

Cap. 17. §. 8. *Præposita peccatorum remissione, quæ iam sequuntur bona opera, aliam quam à suo merito æstimationem habent, quia quicquid in illis est imperfectum, Christi perfectione contegitur.*

Quod si D. Ministri dicant, Caluinum duntaxat negare rigorosum meritum, non autem tale, quale est inter seruum & Dominum, & per hoc euadere contradictionem putent, inter prædictam propositionem & doctrinam Caluini; aduertant quod absq; magna irroganda iniuria Caluino id præstare nō possint, nā cum constet ex Caluino quod opera nullū subsidiū ferant ad vitā æternā cōsequendā; itē quod vita æterna datur dūtaxat titulo hæreditario filijs adoptiuis Dei, manifestū est quod Caluinus nedum prętendat negare ab humanis operibus virtutē merendi stricto & rigoroso, verū etiam tēperato & modificato merito; item Caluinus inde se ad excludendū meritū ab humanis operibus in eo, quod homo est Deo infensus, nihilq; ab ipso procedere potest Deo gratū & acceptū, & per consequens nedū excludit meritū rigorosum ab humanis operibus, verū etiam tale quale esse potest inter seruum & Dominum, quandoquidem seruus exosus & infensus Domino apud eundem mereri non potest.

Sic Caluinus singulas istarum oppugnat propositionum, vniuersas

uerſas autem ſimul multis locis ex prædictis, & in aliquibus ex ſequentibus deſtruit & ſubuertit.

Ergo aut pereat nobis iuſtitia neceſſe eſt, aut ne veniant in conſiderationem opera, ſed ſola fides locum habeat. Cap.13.§.4.

Quare ad remedium illud venire neceſſe eſt, ſtatuant fideles, non alio iure ſperandam ſibi eſſe hæreditatem regni cæleſtis, niſi quia inſiti in Chriſti corpus iuſti gratis reputantur. Eodem cap. §.5.

Illud iā excuſsū eſſe calūniatoribus, ne nobiſcū perinde agant atque bonorū operū inimicis, ſiquidē operibus detrahitur iuſtificatio, nō vt nulla bona fient opera, aut bona eſſe negentur quæ fient, ſed ne illis fidamus, ne gloriemur, ne ſalutē aſſcribamus. Fiducia enim hæc noſtra eſt, hæc gloria & vnica ſalutis anchora, quod Chriſtus Filius Dei noſter eſt, ac nos in ipſo viciſſim filij Dei regniqúe cæleſtis hæredes. Cap.17.§.1.

Nō tantū intelligimus, ꝙ tradūt ſcholaſtici à gratia acceptāte habere opera ſuū valorē, illi.n. ſentiūt imparia, alioqui opera ex legis pacto ſaluti cōparandæ, in æqualitatis tamē pretiū Dei acceptione euehi; Ego aūt dico, ea tū alijs trāſgreſſionib⁹, tū ſuis ipſorū maculis inquinata, non aliud valere, niſi quod Dominus veniam vtriſque indulgeat. Cap.17. §.15.

Ecce lector, ſummū, quod in ſecta Caluiniſtica bonis operib⁹ ab homine iuſtificato promanātibus attribui poteſt, eſt, nempe quod author Caluinus in vltimis verbis loci poſtremi allegati, ait, quod ſcilicet nihil aliud valeant, quam quod illis veniam Deus indulgeat, & hoc quia licet ſint maculis inquinata, propter fidē in iuſtitiam imputatiuā Chriſti qua velātur & tegūtur.

Ex his itaq; omnibus, quę præſenti hoc capite tractauimus, D. Miniſtri, (modo ſyncerè, pro ſuo candore, & nō ſiniſtrè iudicare velint, & quod res eſt fateri) non aliud ſane inferre & colligere poterunt, præterquā idem illud quod nos ex ijſdem apertè ſequi in titulo capitis oſtendere propoſuimus. ſumusque polliciti; Nimirū D. Miniſtros, in tribus quas conceſſerant propoſitionibus, aliquando reſipuiſſe, & dereli̇cta ſuæ ſectæ opinione ad Eccleſiæ Catholicæ doctrinam & ſententiam redijſſe. Quod quidem poſterius, cum ſuperfluum videretur declarare, cum ex OEcumenicis Concilijs, & ſanctis Patribus, alijsq; Catholicæ Religionis fontib⁹, ſatis cōſtet, tres admiſſas illas propoſitiones eſſe Catho-

licas,& vt ipſorum,non ipſorum, ſed noſtro vtar vocabulo, orthodoxas, huic labori ſuperſedimus. Prius vero illud, nempe quod Religionis & ſectæ ſuæ deſeruerint opinionem, cum id animosè & audacter negârint, me apertius commonſtrarē oportuit. Oſtendi itaque ipſos in ſuis propoſitionibus non modo è diametro cum Caluini ſcriptis pugnare, quod in præfixo antitheſium ſchemate præſtitimus, verum etiam, licet obliquè doctrinam illam Caluini de Iuſtificatione, quæ fundamentum quoddam eſt ſingulare Caluinianæ perfidiæ, ijſdē propoſitionibus non ſolum labefactata, ſed prorſus euerſa; & totam conſequenter, ſuper hanc baſin extructam errorum falſorumque dogmatum machinam, dirutam eſſe, & proſtratam. Vnde clarè conſtat illud quod in ipſius diſputationis exordio inſinuabant, ſcilicet ſe non eſſe Caluiniſtas, hic opere D. Miniſtros comprobaſſe, & ſic immerito à ſuis aſſeclis & auditoribus, Miniſtri Eccleſiæ Reformatæ Religionis Caluiniſticæ habentur & nuncupantur; atque idcirco non abſque magna illorum iniuria hoc nomine compellari, & titulo cohoneſtari poterunt, cum in duobus præcipuis articulis, in quibus prædicta ſecta Caluiniſtica à Catholica diſcedat religione, nempe de Iuſtificatione, & merito bonorum operum, cum Catholicis ſentiant.

Quapropter gratulor iam ex animo, D. Miniſtris, quod tanta ipſis, Dei beneficio, lux aliquando affulſerit, vt Catholicam veritatem, in duobus illis prædictis punctis cognouerint, agnitam confeſſi ſint, confeſſam non clam, ſed in plurimorum præſentia comprobarint. Hortor etiam eoſdem, vt quo pede cœperūt, ſic in veritatis ſtudio & amore, quo flagrant plurimum, progrediantur, & vt non ſolum in ſuis opinionibus erroneis aſtruendis & confirmandis inuigilent, verum etiam in noſtris quandoque dogmatibus perpēdendis, & cum ſuis comparandis aliquid temporis & laboris inſumant; Hinc ſpero fiet (quod & Deus Optimus faxit) vt aliquando cum Catholica religione conſonantes, gratam acceptamque in auribus Dei & Vniuerſalis Eccleſię, fidei edant nobiſcum confeſſionis harmoniam, tantaque ingenia

nia suum qui ipsis debetur locum, cum iam abiecta quasi iaceant, consequantur.

Precor, ne ijdem hoc ipsum in malam velint interpretari partem, nimirum quod cum redegerim ad publica scripta illa, quæ gesta fuêre, (instantibus enim plurimis qualificatis personis, nec non ijsdemmet D. Ministris per aliquas sibi amicos Colonienses petentibus, postpositis alijs meis præstare debui) hanc etiam eorum defectionem in hisce propositionibus tam longa deductione & adeo perspicua (licet puerile alicui videri posset) exaggerarim & explicarim; non enim vt in illorum confusionem cederet, sed vt debilitati simulque vtilitati vulgi, quod vix potest aliquid, nisi bene explanetur capere, condescenderem & subuenirem.

Tandem, quia haud fieri potest, quin huiusmodi historicæ disputationum relationes, secum pungentes quasi quasdam spinas aduehant, præsertim dum veritas in ijs detegitur, cum aliquo aut vero, aut saltem apparente & apprehenso aduersariorum detrimento, posset forte contingere, vt & hæc nostra narratio acerbitatem quandam secum adferat, qua ipsis bilem (quod tamen non arbitror) commoueat, eoque eos adducat, vt turbidiore animi affectu ipsorum ratione perturbata, ad commune illud recurrant remedium, nempe id quod relatio gestum esse in veritate commemorat, vel totum, vel quoad partem falsitatis arguant, vel saltem veritatem inter nos examinatam, & vtrinque confessam & comprobatam, tergiuersationibus quibusdam nouis excogitatis, rursum offuscent atque obnubilent. Quapropter, præmonitos velim D. Ministros, tum, vt cogitent hanc Dei esse & publicam, in qua versamur, causam, multorumque bonum & emolumentum concernentem; proinde Deum suis præfixum oculis habeant, & veritati confessæ parcant, in me vero, si quid conceperunt, audacter effundant: tum, vt recordentur plurimos vtriusque Religionis viros in suis pugillaribus præcipua dicta consignasse, cum quibus ea, quæ & ego Francofurti hac de re annotaueram pu-

 blice-

bliceque legeram & repetieram contuli, collata huc retuli.

CAPVT XII. ET VLTIMVM.

In quo controuersia, de merito bonorum operum hominis iustificati, quæ intercedit inter Catholicos & huius temporis Hæreticos dirimitur, & Apostatæ motiuum desumptum ex eadem eneruatur.

HActenus institutæ relationis telam texuimus, qua iam ad finem perducta, filum orationis omnino abrumpendum esset; nisi vtiliter nostram locare opellã videremur, si breuiter hic eam controuersiam, quæ inter nos & Hæreticos huius temporis intercedit, de bonis operibus subijceremus & declararemus, quandoquidem ille articulus, qui de valore & merito bonorum operum, disputando (vt ex relatione constat) examinatus est, qui etiam ex numero motiuorum Apostatæ fuit, non ita exactè discussus est, vt qualis grauissimi huius dubij requiritur resolutio, ex dictis inter disputandum in nostra palæstra habeatur; non enim omnia pro & contra, quæ ad plenam discussionem veritatis desiderantur, & quæ à partibus adferri poterant, fuerunt allegata. Quare ex inceptis nactus oportunitatem, hanc quæstionem de valore operum bonorum hominis iustificati exagitandam ac definiendam duxi, veritatemque Catholicam, secundum tamen ingenij imbecillitatem, nedum enucleare curabo, verum etiam adeo facilem & perspicuam reddere, vt etiam secularibus in studijs non exercitatis, cupidis veritatis sciendæ appareat & innotescat.

Verum vt debita methodo procedamus rem hanc sub vnius quæstionis titulo pertractandam decreui, quæ sequitur.

QVAE-

QVAESTIO.

De merito hominis apud Deum.

VT propositæ huius quæstionis veritas clarè perspici & cognosci possit, debito nobis procedendum erit ordine, nempe ex vniuersalioribus deducenda ac deriuanda erit, iuxta methodum, quam vocant, compositiuam, quę omnibus humanæ menti accommodatissima in rerum cognitione, veritatisque indagatione censetur: vnde eandem, maioris claritatis gratia & vitandæ confusionis, in quatuor distinguemus articulos, quorum tres ordine primi declarandi sunt, quia illorum resolutio prærequiritur ad intentam veritatem aperiendam.

Articul. I. *An homo possit mereri aliquid apud Deum?*

Articul. II. *An homo constitutus in peccato possit mereri apud Deum?*

Articul. III. *An homo sine gratia possit mereri vitam æternam?*

Articul. IIII. *An homo iustificatus mediante nimirum passione & morte Christi per bona opera mereatur vitam æternam?*

ARTICVLVS PRIMVS.

An homo possit mereri aliquid apud Deum?

ANtequam ad propositi dubij responsionem accedamus, terminos ipsius tituli, operæ pretium est explicare, nempe Homo, qui est subiectum & Meritum, quod est eius prædicatum.

Quod ad primum sciendum est, quod in pręsenti articulo non

quæritur de homine, determinato ad aliquem ſtatum, nempe innocentiæ, aut peccati, vel reparatæ naturæ, ſed quæritur abſolutè de homine, an in aliquo ſtatu quicunque ille ſit, poſſit mereri aliquam mercedem apud Deum, qualiſcunque illa fuerit.

Quantum ad ſecundum inueſtigandum eſt, quid nomen, Meritum, ſignificet, ſed quia euidens reſolutio præſentis articuli, ex perfecta notitia huius termini pendet (vt apparebit) curabimus non ſolum deſcriptionem aliquam tradere, quod ſufficeret ad euadendam confuſionem & æquiuocationem in indagine veritatis, verum etiam proprium & per ſe, ſignificatum nominis, quę eſt definitio eſſentialis ſeu quidditatiua (vt dicunt) rei ipſius, quæ eſt meritum patefacere.

Meritum itaque eſt opus factum in profectum & vtilitatem alicuius, ſicut demeritum eſt opus factum in nocumentum alicuius.

Ex qua Meriti definitione, multa deducuntur, quæ ad inſtitutum hoc noſtrum plurimum faciunt.

Primum eſt: vt ſit meritum, ad minimum duo debent eſſe, inter quos illud intercedat; vnus, qui aliquid faciat, in commodum & emolumentum alterius; alter, qui quod in eius bonum fit, compenſet, & mercedem aliquam largiatur operanti propter opus factum, & ſic eiuſdem ad ſeipſum, nullo modo meritum aut demeritum eſſe poteſt.

Secundum, quod infertur eſt: Quod vbicunque eſt meritum, debet in vtroque tam in eo qui meretur, quam in eo qui compenſat eſſe dominium, eo quod inuicem fit alienatio quædam; fit enim quaſi permutatio boni operati, in fauorem & vtilitatem alicuius, & boni dati in recompenſationem.

Tertium, quod ſequitur ex proximo: Vbicunque eſt meritum, in vtroque exiſtat libertas, neceſſe eſt, quia de ratione dominij eſt libertas, & ſic eſt commune dictum; omnis operatio meritoria, eſt operatio libera.

Quartum, quod colligitur eſt, quod ſeruus nihil penitus apud dominum mereri poſſit, ſtando duntaxat intra metas ſeruitutis: nam,

nam,(vt ex dictis patet(in eo quod est alterius,nemo mereri potest. Cum autem quicquid seruus,in quantum seruus,facit & operatur in vtilitatem sui domini,non serui, sed domini est, sequitur quod seruus, quatenus seruituti subiacet, nullo modo mereri potest,& per consequens,nisi assignauerimus rationem aliquam dominij,ipsi seruo,non poterimus aliquod genus meriti,ijdem attribuere.

Quocirca cũ homines,qui conditione sunt serui, sint naturæ intellectualis,cuius est liberè in actus prorũpere, id est, habere dominium suorum actuum,consequens est,quod ex hac parte, is qui est seruus apud suum dominum mereri possit. Meritum autem istud,in hoc fundatur,quod nimirum seruus, cum sit liberæ naturæ, potest, quamuis indebitè & cum suo ipsius detrimento, pœnis scilicet tormentisque sese exponendo, se subducere,nihilque in rebus domini sui operari & agere, vel saltem quod operatur,ita peragere, vt in vtilitatem domini sui non cedat,vel vniuersa ita pertractare, vt in damnum & detrimentũ domini vergant.

Quintum,quod colligitur est;Quod vbicunque est meritum, ibi est iustitia commutatiua,inter operantem & opus remunerantem,& quale est meritum,talis est iustitia,fit enim commutatio boni operantis cum eo, quod est remunerantis,vt dictum est; Vnde dici solet & bene. Meritum est quasi pretium mercedis.

Ex quibus iam manifestum est,quod seruus agens in vtilitatẽ sui domini,aliquid apud eundem mereri possit;quod tamẽ meritum,(vt ex iam dictis cõstat) non est rigorosum, nec(iuxta definitionem pręscriptam)propriè meritum nuncupandum,quale alioqui inter duos conditione æquales,quorum scilicet neuter alteri subiectus esse potest, cuius ratio subest plana ex dictis; sed est meritum modificatum & limitatum; sicut neque inter seruum & dominum esse potest arcta, & propriè iustitia; vnde seruus suum dominum ad tribunal non potest trahere, neque cõtra eum aliquam instituere actionem;est tamen aliquis mo-

dus iustitiæ & iuris inter dominum & seruum, quod Philosophi cum Aristotele, conditione diminuente adhibita, vocant ius, nempe dominatiuum.

Responsio ad dubium motum, satis clara & manifesta, ex prædictis patet, nam cum creatura sit Deo subiecta, eiusque supremus dominus sit Deus, & homo libero arbitrio polleat, per quod est dominus suarum actionum, sequitur quod possit mereri apud Deum, si operetur in Dei obsequium, non quod aliquid emolumenti, & vtilitatis ex humanis operationibus, Deo prouenire possit; (bonorum enim nostrorum non eget, cum sit ipsamet plenitudo bonitatis) sed quia, quantum est ex parte hominis & ex eius affectu aliquid in vtilitatem Dei facere potest & operari, quod reali effectui æquiualet, & perinde à Domino Deo reputatur. Tunc autem in profectum Dei, modo dicto, operatur homo, quando in suis actionibus constituit Deum vltimum finem, quod ipsi soli Deo debetur, sicut tunc in nocumentum & damnum Dei, quantum est ex parte humani affectus, homo agit, cum vltimum suarum operationum finem nō Deum, sed creaturam constituit.

Restat tamē, vt plenior habeatur huius articuli cognitio, sciendum, minorem rationem meriti inter hominem & Deum reperiri, quam sit ea, quæ est inter seruum & creatum dominū, & ratio est, quia vbicunque est maior dependentia, est maior subiectio, & sic maior seruitus, & per consequens minus de merito; homo autem magis dependet à Deo, quam homo à creato domino: Nam homo homini facultates & potentias naturales, puta intellectum & voluntatem viresque epteriores requisitas ad impendendum obsequium domino non subministrat, sed illas à natura sibi congenitas ab ortu possidet. Deus autem cum sit auctor naturæ, eas homini, sicut & ipsum esse, cuius sunt cōplementum, communicat: Præterea idem beneficus Deus, primum voluntatis actum, qui est naturalis, à quo originem trahit & pendet tota libertas & dominium, homini immittit, quem homo suo seruo dare nequit. Restat ergo, quod diximus.

Digitized by Google

ximus, verum, nempe, quod hominis apud Deum sit minor ratio meriti, quam hominis apud dominum creatum.

Contra determinatam veritatem nullum argumentum moueri potest, quin ex dictis facili negotio retundatur, præsertim vnum propositum à Caluino, quod putat esse magni momenti, & quod sic habet. Homo quicquid operatur in Dei obsequium, debet Deo iure supremi dominij, ergo homo in nullo opere, quod præstat in Dei obsequium, mereri poterit apud Deum.

Respondetur tamen, quod si hoc argumentum Caluini aliquid valeret, probaretur quoque per illud quod nullus seruus mereri poterit apud suum dominum, quod est contra vnanimẽ moralium Philosophorum consensum cum Aristotele. Vnde dicendum, quod argumenti consequentia est falsa; nam seruus, qui est liberæ naturæ, qualis est homo, habet dominium suorum actuum, à quibus potest desistere, quando placet, licet exponendo se pœnis infligendis à suo domino, vt supra declaratum est, & hæc est prima solutio ad argumentum Caluini.

Secundo respondetur, quod quamuis homo omne obsequium, quod præstare potest Deo iure supremi dominij ipsi debeat, tamen Deus non exigit totum ius ab homine partim condescẽdens eius fragilitati, & partim vtẽs liberalitate; vnde restãt homini aliqua obsequia præstanda Deo, absque eo quod teneatur ad illa quæ bona supererogationis à Theologis vocantur, quantumuis reluctetur & fremat Caluinus; nam non est minoris liberalitatis Deus erga suos seruos, quam sit creatus Dominus, quem constat non exigere, omnia punctualiter obsequia à suo seruo, ad quæ Iure domini potest illum obligare; quare dato & non concesso, quod operibus ad quæ homo tenetur de præcepto mereri non posset apud Deum, tamen per opera prædicta supererogationis mereri potest. Et sic secundo manet eneruatum argumentum Caluini.

Alte-

Alterum argumentum contra decisam veritatem fieri potest, nempe ab autoritate; sunt autem aliqui Theologi præsertim, de quorum numero est Illustrissimus Cardinalis Bellarminus mihi obiectus à Ministris, vt patet in relatione, qui in loco in eadem ab ipsis allegato, expresse tenet, quod homo potest propriè mereri apud Deum, nos autē dicimus quod impropriè. Ex quo videtur sequi, nostram sententiam esse cōtra Bellarminum aliosque Doctores.

Respōdetur, quod Cardin. Bellarm. & alij Catholici Doctores, tenentes meritū hominis apud Deū esse propriè meritum, in verbis duntaxat discordant à nostra sententia, & non re. Disputantes enim contra Hæreticos de merito bonorum operum hominis iustificati, addunt illum terminnm, Propriè, eo quod Hæretici sicut Caluinus v. g. (à longè tamen) insinuant, opera bona hominis iustificati posse vocari impropriè meritum, cum tamen summum, quod à Caluino dictis operibus asscribitur, est vt sint signum vitæ æternæ consequendæ, quatenus ab adoptiuis filijs Dei, quibus vita æterna, vt hæreditas iure & titulo duntaxat adoptionis danda, parata est, procedunt, & cum esse signum quantumuis certum vitæ æternę consequendæ, omnino per accidens se habet ad illius consecutionem id est, hoc quod est esse signum nihl facit, vt obtineatur vita æterna ab homine iustificato, vt idem Cardinalis in dicto libro doctè deducit cōtra Hæreticos, iusta de causa Bellarminus ac alij adijciunt illum terminum propriè. Nos autem tenemus opera bona hominis iustificati propriè iuuare, propriè prodesse, ac propriè esse causam vitæ æternæ consequendæ, & quanto plura & magis heroica opera, maiores gradus vitæ æternæ; sed quod propriè iuuat, propriè prodest, & propriè est causa, impropriè à nobis vocatur meritum, eo quod non gaudet plena definitione meriti, qua opera hominis facta in vtilitatem alicuius, cui non est subiectus gaudent. Ex quo patet, quod Doctissimus Bellarminus & alij disputantes ex professo contra Hæreticos, nostram sententiam illæsam & intactam relinquunt.

Sed

Sed quid hisce immoror, cum dictus Cardinal. disertis verbis nostram exprimat sententiam.

Animaduertat autẽ lector, quid ego subesse causæ suspicer, cur mihi Reuerendiss. Bellarmini locum D. Ministri obiecerint, (quod quia in relatione exciderat, hic tamen, dum se offert occasio non prætereundum) cùm ipsi optimè scirent Bellarm. illorum subuertere hæresim, & non vt aiebant, mihi aduersari. Quod itaque ego existimo eos ad id commouisse, nõ est aliud, quam quod cum viderent me asserere ipsos ad nostram accessisse sententiam, eo quod confiterentur scripturæ authoritate compulsi nos impropriè mereri, idque iam Auditores vtriusq; etiam partis animaduerterent. Vt ergo auditores ab hac cogitatione auerterent, & ne hoc de ipsis suspicarentur, subito Bellarm. in medium protulerunt locum, vt ita, dum auditores animi illum voluendo & pertractando essent occupati, alterius illius, de quo ipsis gratulabar, obliuiscerentur.

ARTICVLVS II.

An homo constitutus in peccato possit mereri apud Deum?

PRO explicatione tituli præsentis articuli, subiectum illius declarandum venit, nempe quid sibi vult, *Homo constitutus in peccato*. Supponendo prius tritam S. Aug. definitionem peccati, ab omnibus communiter receptam, quæ sic habet. Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.

Notandum itaque est primo, quod homo constitutus in peccato non vocatur à Theologis, ille qui actualiter peccatum cõmittit, seu ille, qui est sub actu peccati, talis enim propriè vocatur peccans, & non constitutus in peccato; de isto enim, qui est sub actuali peccato, nulla quęstio moueri potest, an scilicet possit mereri apud Deum, esset enim quęrere, an homo dum peccat possit mereri apud Deum, quod non cadit sub quęstionem, propriè autẽ loquendo, constitutus in peccato ille dicitur, qui trãsacto actu peccati vel offensę contra Deum, retinet aliquem de-

 fectum

fectum causatum ab actu peccati. Vt autem sciatur, quisnam ille defectus quem incurrit homo ex eo, quod actu peccat, sit, à quo in peccato constitutus denominatur.

Notandum secundo est, quod homo peccando conuertit se ad creaturam, ceu quod idem est, ad cōmutabile bonum, constituendo finem vltimum in ipso, id est, ponendo in ipso totum cor & affectum, & sic præponendo illud incommutabili bono, seu quod perinde est, Deo; non potest autem conuertere se aliquis ad extremum, quin se auertat ab altero. Vnde colligitur quod homo per peccatum actuale, actualiter conuertit se ad creaturā, actualiter quoq; auertitur à Deo, imo hoc idem est actualiter peccare, quod actualiter se conuertere ad creaturam & se auertere à Deo, quam actualem conuersionem ad creaturam, Theologi vocant materiale seu substratum peccati, & actualem conuersionem à Deo formale peccati nuncupant.

Tertio aduertendum est, quod transacto quocunq; actu peccati, remanent in homine duo stigmata peccati commissi, correspōdentia duobus prædictis, quæ requiruntur in actuali peccato; quorū vnū est, habitualis quædam conuersio ad creaturā: alterū est habitualis quædā auersio à creatore. Nō autem hoc sic intelligendū est, quatenus peccatum commissum causauerit in anima aliquem habitum, per quem possit in consimilia actualia peccata prorumpere, sed alio modo hoc est intelligendum.

Pro quo supponendum est, quod ante peccatum, homo erat in recto tramite vitę spiritualis constitutus, nempe habitualiter conuersus ad Deum, tanquam vltimum finem, id est, aptus ad Deum diligendum, & in eodem confirmandum, omnesque motus & actiones suas in illum referendum; Hæc autem tam excellens dispositio, homini non erat naturalis, quandoquidem humana natura ex duabus composita est, nempe sēsitiua & intellectiua, quarum quælibet naturaliter tendit ad suā propria; illa ad bonum sensibile, hæc vero ad bonum rationis, sed sensitiua propter commercium cum rebus sensibilibus, quibus homo ab exordio natiuitatis suę immersus est, pręualet intellectiuæ, eamque superat. Quocir-

Quocirca vt subueniretur prædicto naturali hominis defectui, cui secundum principia & causas, impossibile est subueniri, diuinitus illi prouisum, de quodam dono superaddito naturæ humanæ, quod Gratiam & Charitatem, (iuxta Sacras literas) Theologi vocare consueuerunt, siue hæc duo sint vna & eadem res, diuersis nominibus appellata; siue, (quod certius iudicatur) duæ res realiter distinctæ, non est modo curæ, saltem si realiter differunt, non minus quam radix & arbor inseparabili nexu vniũtur. Præfato autem Dei dono mediãte, humana natura perficitur ac formatur; charitatis enim præcipuum munus est, hominem disponere, ac idoneum reddere, vt in Deum, tanquã vltimum suum finem per amorem cõuertatur, ipsique adhæreat, ac in eundem realiter consequendum., & in seipso possidendũ conatus dirigat, neruosque intendat, eiusdemq; officij est, partẽ inferiorem animæ, nempe appetitum sensitiuum, qui hominẽ ad ima trahit & impellit confrænare, & sub debito rationis ordine continere. Hoc vero beneficium charitas præstat, medio quodam cordiali amore erga Deum, quem in hominis affectu mouet, excitat & confirmat, nam ex quo Dei amore inflammata & absorpta est hominis voluntas, superior pars animæ inferiorem eiusdem partem, absque negotio supprimere & subijcere valet ac sufficit, ne rationis lineam ac terminum transiliat.

Præfatum autem gratiæ & charitatis donum, tamdiu in anima fixum hæret, quousque ipsa per peccatum contaminetur, cũ prius in aliquam diuinæ legis transgressionem homo irrũpit, influxum Dei conseruantis in anima, charitatem & gratiam interrumpit: Quare in momento pręfata S. Spir. charismata ab anima recedunt, & penitus euanescunt, quibus homo spoliatus, manet à Deo habitualiter auersus, ad quem eorundem ope ac beneficio ante lapsum conuersus erat. Ista vero, quam anima per peccatum incurrit auersio habitualis, à nostris Theologis Macula nominatur, non immerito, quia ex contactu rei sordidę, quale est peccatum, in anima contracta est, quę & alio nomine Culpa vocari solet.

Præterea homine gratia & charitate priuato, quæ erant temon ad moderandas passiones, & frenum, ad insurgentes contra rationem motus cohibendos, soluta fuit harmonia & consonantia inter supremum hominis appetitum, quem voluntatē dicimus, & inferiorē, qui sensitiuus appellatur, & tādem homo manet intra profundum lacum miseriæ, in quem ipse voluntarie se coniecit, à quo flebili statu, nisi manu Dei denuo reformetur, nullo modo liberari potest, tunc effrenis concupiscētia pōdere & inclinatione propriæ naturę ad bonum sensibile, nō obstante ordine rationis in oppositum, trahitur & propellitur, tūc voluntas, quæ ante lapsum, erat regina, redacta est ad seruitutē, quæ erat domina, ancilla facta est & pedissequa, & quæ prius moderabatur, alterius imperio subiecta iacet.

Quæ igitur sint, habitualis auersio & conuersio derelictæ ex peccato, quas declarandas proposuimus, ex dictis quisque colligere potest: Macula. n. siue culpa prædicta, quā contrahit homo per peccatū, est habitualis auersio & inclinatio appetit⁹ ad cōmutabile bonum, cōtra ordinē rationis est habitualis cōuersio.

Vltra prædictum incurrit homo aliud detrimētum & iacturā, nēpe reatum pœnæ, quam luere tenetur ad resarciendū dānū, per offensā Deo illatam, quę maculam ex peccato derelictā sequitur & comitatur, & perpetuo fœdere, & indiuisibili vinculo eidem vnitur. Quod si forte per nouam infusionem gratiæ à Deo homo reparetur, tenebitur secundum Dei iudicium condignam pœnalem satisfactionem ad tempus subire, nisi simul cum reparatione facta immisceatur satisfactio alicuius, qui nomine & vice illius, qui reus est pęnæ, satisfaciat, sicut de facto, & in rei veritate res sese habet. Nam homo non solum ad pristinum statū gratiæ & charitatis à Deo, Christi Redēptoris nostri meriti virtute, cui primo per Sacramentum Baptismi, & deinde quoties hominem relabi cōtingit (iuxta Catholicum tamē dogma) per aliud sensibile remedium, sacramentum scilicet Pœnitentiæ incorporamur, reintegratur, verum etiā eiusdē Christi Saluatoris pęnalitates, loco satisfactionis debitæ ab homine repara-

para-

parato in totum vel in partem (reſpectiue iuxta quodlibet, ex dictis duobus ſacramentis) ſubſtituuntur.

Prædictis igitur declaratis, liquet iam, à quo homo denominetur conſtitutus in peccato, nempe, præfatis, auerſione & conuerſione, habitualibus; nam hæc ſunt duo ſtigmata derelicta in homine à peccato actuali, eiuſdem rationis cum ipſo, quandoquidem ſolum ab ipſo, ſicut actus & habitus, ſecernuntur: Sed principaliter hæc denominatio ab auerſione habituali, ſeu, quod idem eſt, à macula vel culpa prouenit, cuius ratio plana ſubeſt, quia ſcilicet macula eſt idemmet receſſus à Deo, in quo ratio peccati completur. Et ſic patet ſtatus dubij, ad cuius explicationem pergamus.

Pro deciſione veritatis, ante omnia duo ſunt obſeruanda. Vnum eſt, quod ſi ille, qui meretur apud aliquem, in cuius obſequium vel vtilitatem operatus eſt, tenebatur perſonæ, apud quam meretur aliquo præcedenti debito, puta vel ex aliquo damno eidem illato, vel alio quocunque prætextu vel titulo, in tali caſu, ſatisfactio operis meritorij duobus modis fieri poteſt, nempe vel per compenſationem debiti ad debitum ad æqualitatem iuſtitiæ, aut per realem remunerationem, ſalua & illæſa manente obligatione perſonæ merentis contracta, quod eſt luce meridiana clarius: Alterum non minus attendendum & obſeruandum eſt, duo eſſe humanorum actuum genera, quæ ab homine in peccato conſtituto promanare poſſunt. Alij ſunt actus ſecundum ſe boni, id eſt, ſecundum ſe referibiles in vltimum finem, qui ſolus eſt Deus, vt dare eleemoſynam pauperi, honorare parentes, & cæt. Alij ſunt actus ſecundum ſe mali & peccata, id eſt, illi qui ſecundum ſe abducunt ab vltimo fine, vt furari, mœchari, & cæt. Rurſum actus ſecundum ſe boni; alij ſunt, quibus annexa eſt aliqua mala circumſtantia, vel alicuius praui finis, vel alterius cuiuſdã reſpectus, vt v.g. dare eleemoſynã propter vanam gloriam: alij vero ſunt actus ſecundum ſe boni, qui nulla circumſtantia ſunt fœdati, vt dare eleemoſynam purè & ſyncerè propter illud, ad quod inſtituta eſt eleemo-

ſyna, quod eſt ſubleuare miſeriam pauperis.

Quod autem conſtitutus in peccato, in prædicta tria genera actuum prorumpere valeat, apud nos Catholicos, eſt res comprobatiſſima, in vltimo autem membro ſubdiuiſionis factæ. Hæretici huius tempeſtatis à noſtra ſententia diſſentiunt: Putant enim nullum actum bonum poſſe hominem in peccato conſtitutum exercere, qui non ſit, vel ſecundum ſe peccatum, vel aliqua praua circumſtantia inquinatus, quinimo (quod execrabilius dogma cenſetur) idemmet non verentur dicere de actibus bonis, qui ab homine iuſtificato procedunt, vt monſtrauimus in relatione. Hos autem patentiſſimos errores, ne dicam, deliramenta nunc prætermittere oportet, nam ſiue conueniamus ſiue diſſentiamus in prætacto puncto, parum pro reſoluenda intenta veritate conducit. His dictis ad dubium motum, per ſequentes concluſiones reſpondemus.

Prima concluſio. Homo conſtitutus in peccato nullo modo mereri poteſt apud Deum per actum, qui eſt ſecundum ſe peccatum. Præſens concluſio luce meridiana eſt clarior, ex eo, quia nemo poteſt mereri apud aliquem per illud, quod contra eundem committit, cum autem omne peccatum ſit contra Deum, reſtat concluſio noſtra certiſſima.

Secunda concluſio. Per actum ſecundum ſe bonum, qui omni mala circumſtantia caret, homo conſtitutus in peccato mereri poteſt apud Deum: Probatur ſic. Ex eo meretur aliquis, quia liberè in obſequium alicuius operatur; tunc autem aliquis in obſequium alicuius quicquam præſtat, quando iuxta mandatum & ordinationem illius agit: ſed homo in peccato conſtitutus, dans v. g. eleemoſynam pauperi in extrema neceſſitate exiſtenti, cui alias nullum remedium patet, operatur in Dei obſequium, quia agit iuxta diuinum mandatum & ordinationem, vt de ſe patet, ergo concluſio probanda manet certa.

Tertia concluſio. Homo conſtitutus in peccato meretur apud Deum,

Digitized by Google

Deum, per actus bonos secundum se, licet aliqua circumstantia mala induti sunt. Probatur ex sacris literis. Exodi cap. 10. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domus*. Ecce præmium datum à Deo propter bonum opus obstetricibus. Item, Ezechielis cap. 29. *Et erit merces exercitui illius, dedi ei terram AEgypti, pro eo, quod laborauerint mihi*. Vbi constat præmium propter opus factum à Rege Babylonis impugnando Tyrum, quod erat fœdatum circumstantia peruersa, nempe praua intentione Regis Babylonis, qui intuitu occupandi regnum Tyrum impugnauit. Ratio pro hac conclusione eadem est cum illa, qua conclusionem secundam confirmauimus, nempe quia dum aliquis patrat aliquod bonum, hoc facit ex diuina ordinatione, in quo Deo obsequium præstari, non est dubium, licet ex aliqua circumstantia contra Dei ordinationem fiat: Vnde qua parte aliquis secundum Dei ordinationem agit, meretur aliquid, sed qua parte per malam adhibitam circũstantiam diuino præcepto reluctatur, plus quam meritus est, demeretur. Neque est adeo mirum vt aliquis simul mereatur & demereatur apud alterum, sicut mirum quoque non est, quod quispiam partim mandatum alterius, partim vero non exequatur, & sic pari ratione alteri beneficium præstet, atque damnum inferat; vt v. g. dat eleemosynam pauperi, simulque contumeliosis eum verbis afficit.

Duo tamen notanda sunt pro vltimis duabus conclusionibus. Vnum est, in nulla illarum fieri mentionem, de præmio vitæ æternę, sed locutos nos esse in genere, nempe intendimus hoc solum, quod homo mereatur aliquid per dictos actus; In rei enim veritate per prædicta opera procedentia ab homine in peccato constituto (de quibus loquuntur duæ vltimę conclusiones) dantur pro præmio bona tẽporalia, sed non vita æterna, cuius ratio reseruatur pro sequẽti articulo. Alterũ notandum venit, nimirum quod homo constitutus in peccato, non sic meretur apud Deũ, vt cõstituat Deũ debitorẽ alicuius præsẽtis & realis remunerationis post opus patratũ dandæ, quandoquidẽ (vt dictũ supra est)

pra est) reatus pœnæ debitæ pro peccato manente prædicta macula, semper manet. Itaque posset Deus, iustitia suadente, præmium temporale, quod meretur homo constitutus in peccato, compensare per pœnam, quam debet pro peccato, temperando scilicet acerbitatem illius, vel alio modo ad æquiualentiam, nihilominus Deus, saluo manente aliquo hominis debito, noua opera bona, noua mercede præmiat, & hoc licet frequenter, non tamen semper accidit. Videmus communiter peccatores bonos politicos, nempe studentes tranquillitati Reipublicæ, animorum concordiæ, neminem lædentes, eleemosynarios, alijsque virtutibus moralibus præditos, in temporalibus prosperatos, quibus demum omnia huius vitæ negotia ad nutum succedant: Contra vero alios extra peccatum constitutos cernere licet, quorum plurima bona moralia & politica ab ipsis patrata irremunerata manent, in omnibus quæ tentant infortunatos & in miseria ac temporalibus afflictionibus cōstitutos, multorum quoque bonorū operum temporale in hac vita prę-mium, mors naturalis intercipere solet: Verum ne infructuosa bona opera suis autoribus maneant, dicendum videtur, in futura vita acerbitatem pœnæ, quam pro peccatis subire tenentur, pro præmio bonis operibus debito, à Domino Deo temperari.

Neque ex postremo dictis fit consequens, quod aliquis constitutus in peccato, tot bona opera patrare possit, vt discedens cum peccato ex hac vita absque bonorum operum remuneratione, facta postea compensatione, in alia vita ad æqualitatem iustitiæ, nihil pro peccatis commissis restet ei luendum. Hoc enim argumentum vim aliquam haberet, si homo peccando nullum aliud incurreret damnum, quam reatum pœnæ pro peccato patrato, nam tunc pœna cui esset obnoxius, non esset æterna: AEternitas enim pœnæ non sequitur grauitatem culpæ
1.2. *quæst.* 87. *art.* 3. & *art.* 4. *ad* 3. (vt doctè S. Thom. demonstrat) sed æternitatem illius. Sed quia homo peccando destruens gratiam & charitatem, contrahit maculam (vt dictum est) impossibile est, quod pro pœna debita ob pec-

ob peccatum commiſſum, homo in hac vita ſatisfacere queat; nam ſicut macula in alia vita erit æterna, ita reatus pœnæ, indiuiduus comes maculæ, æternus erit, compenſatio autem à nobis dicta, tunc fiet fortè temperando acerbitatem pœnę, vel alio arcano modo, iuſto tamen Dei iudicio.

ARTICVLVS III.

An homo ſine gratia mereri poſſit vitam æternam?

PRo declaratione huius dubij, duo termini ſunt explicandi, ſcilicet, *Gratia & Vita æterna*: Quantum ad primum, non eſt diu huic immorandum: nam licet nomen Gratiæ, varijs modis accipi conſueuerit, tamen in propoſito (ſicut in præcedenti articulo) illud vſurpatur, pro dono videlicet quodam diuinitus infuſo, quod idem cum charitate ſit, vel ſaltem eiuſdem radix, vt ibidem diximus: Ad alterius igitur explicationem feſtinandum. Nomine itaque Vitæ æternæ intelligimus, perfectam hominis beatitudinem, qua plenè appetitus hominis ſatiatur, corrupto hoc mortali corpore, in altera vita, quæ etiam nominari ſolet felicitas humana, ſummum hominis bonum, & vltimus humanę vitę finis; Nec immerito hanc poſtremam denominationem ſortitur. Nam cum vnaquæque res creata, aliquod per ſe bonum, ſuæ naturæ conueniens, ſibi à Deo præſtitutum reſpiciat, ad quod aſſequendum, ab eodem autore naturæ, ſecundum eas, quas habet vires ordinetur, dirigatur & moueatur, cuius deinde boni adeptione & poſſeſſione rei appetitus ſatiatur & expletur, ita vt nihil vlterius deſiderandum reſtet, ſequitur quod omnis conatus, molitiones & actus, qui ab hac re proueniunt, in bonum illud referantur, ipſum vero quia per ſe bonum eſt, deinde ad aliud quod vltra reſtet non ordinatur. Hinc fit, vt vita æterna, humanæ vitæ vltimus finis nuncupetur, ad quem ipſe homo creatus eſt, & in quem ab eodem, conuenientibus medijs mouetur atque dirigitur. Sed cum non omnibus conſtet, neque ſatis ſit perſpectum, qua in re ſumma hominis beatitudo & felici-

tas consistat, ipsaque vita æterna, an in animi aut corporis aut fortunæ bonis, an in alia aliqua re, declarandum prius est, quæ sit Catholicorum hac de re sententia; deinde ad moti dubij solutionem procedendum, cum ex ijs, quæ hac de re dicentur, quid respondendum sit, emergat atque exurgat.

Notandum itaque primo, vitam æternam siue vltimum hominis finem, neque in aliqua re creata, neque in omnibus rebus creatis simul posse consistere. Ponamus enim aliquem hominem esse, in quem omnia congesta sint, & animi & corporis fortunæque bona nempe scientias industria humana comparatas, item virtutes, bonam corporis constitutionem, facultatum & possessionum abundantiam, honores & dignitates, amicorum familiarumque copiam, non tamen ab omnibus his perfectè beatus dici poterit. Non enim plenè appetitum eius naturalem & desiderium satiant, neque omnes perturbatrices animi nebulas dispergunt & amouent, tum quia timor menti obuersatur, hæc bona amittendi, scientiam per obliuionem sanitatem & reliqua propter plurima emergentia, quæ ea eripere & tollere possunt, tum quia sollicitudo quędam & anxietas conseruandarum rerum, tranquillitatem animi obnubilant, vt vere mens inquieta dici possit. Huic accedit, quod præstantissima hominis bona, quæ ad præstantissimam eius partem spectant, nempe mentem, vt sunt scientiæ, studio & labore acquisitæ, eam partem non replent neque satiant. Nam quod ad intellectum spectat, cum sit potentia immaterialis capax est veritatis summæ, quæ per essentiam veritas est; Hæc autem capacitas non expletur per scientias naturales huius vitæ, quascunque, licet enim multa studio laboreque cognouerint ac didicerint, semper tamen plura addiscenda restant, & quo plus sunt potæ, plus etiam sitiuntur veritatis aquæ, vsque dum ad summam perueniant veritatem, vltra quam nulla alia detur, quæ Deus est, & licet ad eam veritatem, per supremam scientiarum naturalium conscendant & perueniant; tum neque hæc capacitatem humani intellectus perficit & replet, cum non exhibeat summam veritatem intellectus, nudè, clarè, abs-

que

que ænigmate, vt in se cognoscibilis est, sed per aliarum rerum similitudines & species.

Quapropter cum res creatæ, hominis vltimus finis esse nequeant, restat ergo, vt aliud quid sit, in quo summum eius bonum consistat, & quo eius naturale desiderium satietur, quod certè aliud esse non potest, quam illud, quod est ipsamet bonitatis plenitudo, quem Deum Opt. Max. dicimus, quod Rex & Propheta Dauid indicat cum ait. *Renuit consolari anima mea* (in creaturis)*memor fui Dei & delectatus sum.* Ipse enim est plena veritas, quæ explet intellectum, plenitudo bonitatis, quæ satisfacit voluntati, ipse nostra gloria, in domo eius diuitiæ, ipse fortitudo & laus nostra, & cæt. Sed quia Deus noster, quem vltimum hominis finem statuimus, est substantia spiritalis, actusque purissimus, ita vt corporeæ alicui actioni obijci non possit, neque sensu contingi; sequitur hinc quod non ab alia facultate hominis, quam illis solum, quæ supremæ partis sint, nempe animæ, possit comprehendi & possideri, idque vel per intellectum, qui Deo coniungitur ipsius visione (vt verior est sententia iuxta illud, apud Euangelistam. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti,* & cæt.) vel per voluntatem, qui Deo vnitur per perfectum amorem; vel per intellectum & voluntatem simul (vt aliqui Doctorum censent) Hac ratione dum homo Deum possidet, verè & perfectè beatus æstimatur. Nam dum ipse Deus sit ipsamet bonitas, omnes gradus bonitatis in se continet, & sic in ipsius adeptione possidetur omne bonum atque omne malum excluditur, eiusque fruitione plenè appetitus satiatur, & capacitas illa naturæ humanæ, siue propensio, & inclinatio naturalis ac desiderium ad summum bonum & perfectam beatitudinem & felicitatem, quam Deus autor naturæ eidem indidit, expletur.

Psalm. 76.

Ioan. 3.

Dicet tamē quispiā. Si homo habet inclinationē naturalē ad perfectā & cōsummatā beatitudinē, atq; ad eandē naturale desideriū, ita vt fugata omni miseria & tristitia pacat⁹ maneat appetitus; sequitur quod dicta beatitudo, sit finis vltim⁹ naturalis hominis, & naturæ debitus, cuius contrarium sana doctrina tenet.

Huius argumentationis consequentia est falsa: Nam finem esse supernaturalem vel naturalem, non sumitur ex sola inclinatione & affectu, erga ipsum, sed ex assecutione ipsius; Ille enim finis est naturalis, qui vltra inclinationem & desiderium naturale, media habet concessa à natura; Et ille supernaturalis, cuius media non subministrantur à natura. Neque est valde mirum, quod inclinatio hominis ad consummatam beatitudinem, sit naturalis, & media ad illam consequendam, non sint naturalia; Inclinatio enim ex eo est naturalis, quia ex vi formatrice seminis proficiscitur (non quod anima rationalis cum suis potentijs ex traduce ipsius seminis sit) hoc modo; conceptum semen virtutem suam exerit, corpusque humanum format & organizat, quo iam in sua debita perfectione constituto, apteque disposito, postulat animam rationalem, quam Deus autor naturæ infundit ex pacto, quod in prima rerum molitione, cum natura matre omnium fecit, quam infusionem citra miraculum suspendere non potest. Animam autem infusam, eius proprietates, Voluntas & Intellectus consequuntur: Voluntas vero cum pro obiecto habeat plenitudinem bonitatis, id est, illud, quo plenè satiatur appetitus, inclinationem habet naturalem ad suum obiectum, & sic inclinatio prędicta, virtute seminis, modo dicto habetur, natura autem vel vis seminis generatrix, nil vltra postulat: Summum enim, quod natura cõcedere potest pro consummata hominis beatitudine, aliud non est, quam hæc inclinatio, non secus vt in Angelis: summum enim, quod autor naturæ Angelis potest dare pro sua consummata beatitudine, est prædicta inclinatio voluntatis, quæ sequitur naturam angelicam, tanquam proprietas ipsi debita, quod inferius clarius ostendetur.

Quod si quispiam vlterius instet, Deum teneri, si inclinatio hæc sit naturalis, subministrare media ad prædictum finem. Respondemus nequaquam astringi Deum ad concedenda media pro consecutione vltimi finis, etiamsi indiderit naturę intellectuali inclinationem ad suum vltimum finem. Nam sola actua-

actualis constitutio & præparatio eiusdem finis, obligat finem scopumque præfigentem ad elargienda media. Data autem inclinatio non connotat neque præsupponit Deum statuisse & decreuisse vltimum finem homini, indicat tamen Deum posse ad finem consequendum homini media apta subministrare, nō secus ac finem potest præstituere; colligi etiam potest ex inclinatione concessa congruum esse, Deum erga hominem suam exercere liberalitatem ipsi finem vltimum præparando, & ad eius adeptionem actu media efficacia communicando.

Ex quo colligitur, nullum certò cognoscere posse ex merè naturalibus de facto esse paratam hominibus vitam æternam, sed huius certa cognitio aliunde petenda est. Hinc fit, quod tot præclara ingenia antiquorum Philosophorum, etiam præstantissima, hac in re fluctuarint; vt S. Thomas dicit. Videbant namq; 3. cont. g. cap. 48. harum rerum creatarum possessione necdum satiari & expleri perfectè eorum appetitum, sed semper in inuestigando vlterius progredi animos: Quare etiam eum, qui horum bonorum affluentia esset munitus, non simpliciter beatum, sed cum conditione diminuente, beatum vt hominem vocabant, vt apud A- 10. Eth. ristotelem videre licet. Atque ideo bonum illud summum sedula indagatione inuestigabant, noscere cupientes, quodnam illud esset, quod eorum appetitui per omnia satisfacere posset: Perlustrata itaque hac elementari regione, omnibusque huius mundi rebus, cùm nihil inuenissent, illud quod cupiebant præstare valens, ad cœlestium corporum amplissimas machinas, animos conuerterunt, sed dum & hæc insufficientia conspicerēt ad hunc causandum satietatis effectum in appetitu eorum, omnia mente creata transcenderunt, & ad illud primum infinitūque Ens peruenerunt; quod cum perfectissimum sit & optimū, imo inexhaustæ & infinitæ bonitatis, hoc solum esse bonum illud, cuius possessione, beati esse possent, cognouerunt: Verum dum se Deum à corporea mole seiunctissimum, corporeis organis & membris, vti sensibus hisce, comprehendere minimè posse cernerent, solum eā partem, quæ spiritualis in ipsis Deoq;

ſimillima,eo nempe animo,eiusque facultatibus intellectu & voluntate ad illum conſequendum & poſſidendũ colligebant, & quidem intellectu,eam perfectè cognoſcendo, volũtate perfectè amãdo;ſed cũ & vtrũq; hoc pręſtare ſe perfectè non poſſe, ſuiſmet naturalibus viribus aduerterent(cognitio enim, quam de Deo habebant,perobſcura erat,neque de facie ad faciem,ſed ſolum aliarum rerum ſpeciebus intercedentibus)tali, qualis erat cognitio,in ipſum ferebantur amore,attamen perfecta media & vias,quibus claram Dei viſionem conſequi,& perfecto in ipſum ferri amore poſſent,non cognoſcebant, hinc ſuſpenſi eorum manebant animi,& ſic ad eius conſecutionem ſe peruenire diffidebant, licet eam appeterent,atque naturalem ad ipsã inclinationem,experirentur.

Nobis autem Chriſtiana fides in hoc ſuccurrit, atque ea oſtendit,& prębet media,quibus tũ ad cognitionem illam datã, tum ad amorem perfectum pertingere poſſimus, atque ſcrupulum nobis eximens,nos erudit, quomodo inclinationem illam & propenſionem naturalem, qua in felicitatem ſummam cõpletamque ferimur beatitudinem, expleamus; Vt autem cognoſcatur quænam illa media ſint.

Notandum ſecundo, Deum huius mũdi potentiſſimum Architectum & ſapiẽtiſſimum Gubernatorem, eum in rerũ creatarum adminiſtratione adhibere malum, vt ſe vniuſcuiuſque naturæ accommodet,atque quamcunque rem, in ſuum finem per conueniẽtia media, ordinet ſuauiter,moueat,dirigat & deducat. Vnde cum ſint duo rerũ in hac vniuerſitate genera,quædam intellectu carentia,alia vero eo pręd ita,vtrũque iuxta proprias ſuæ naturæ facultates & potentias in ſuos dirigit fines. Intelligentes quidem(vt cætera miſſa faciam, cum non ſint huius inſtituti) cum ſint liberi arbitrij,actuumque ſuorum habeant dominium à Deo,per eoſdem actus,vt in ſuum finem tendant, ordinantur,ita quidem,vt cùm primo certè & infallibiliter cognoſcant eſſe paratum,alioqui ad ipſum aſſequendum ſuos actus dirigere non poſſent, deinde vt cognitum firmiter diligere poſ-

re possint, tertio, de eius assecutione nō desperent, sed se aliquādo consecuturos confidant sibique persuadeant.

Quibus præmissis ad responsionem iam accedimus, quæ sequentibus continetur conclusionibus.

Conclusio prima. Nullus homo absque dono gratiæ potest mereri vitam æternam: hæc conclusio loquitur de homine, non in certo aliquo statu, sed in quocunque constituto, siue in statu lapsæ naturæ, siue in puris naturalibus. Probatur conc. Homo cūm sit creatura intellectualis, vt suum consequatur vltimum finem, in eum secundum actus conuenientes suæ naturæ intellectuales à Deo dirigitur & mouetur: Actus autē naturæ intellectuali consoni quibus in vltimum finem tendit, sunt. Vera & certa ipsius notitia, quod paratus sit certo & infallibiliter; Firma eidem per amorem adhæsio; Et certa fiducia eum assequendi: Sed hos actus circa suum vltimū finē exercere homo absq; donis supernaturalibus & gratia nequit, ergo neq; poterit absq; donis supernaturalibus & gratia eum mereri: Minor probatur, quo ad singula mēbra. Quantum ergo ad primū scilicet notitiā finis, certū est, quod aliquo dono supernaturali indiget homo, quod fidem dicimus, per quam non solum cognoscit, quod sit capax illius finis, & quod Deus possit illum elargiri, sed etiam quod velit, & actu sit præstitutus. Idem dicendū de fiducia, quod & ex parte huius indigeat simili dono supernaturali, quod spē dicimus, qua præditus firmiter sperat vltimum finem, non quidem visum, sed creditum solum per fidem, se accepturum. Spes enim hisce mundi corruptibilibus bonis spretis, solis ijs, quæ alta sunt & ęterna, inhiat. Restat nunc amor vltimi finis, quem in homine requiri dicimus, vt rectè in suum finem tēdat, quem tamen habere nequit sine dono quodam supernaturali, nempe illo, quod charitas seu gratia appellatur, neque enim naturalibus viribus duntaxat bono illi non viso sed credito adhærere potest, neque tam firmiter vt res postulat illud diligere. Quotus enim quisque est, qui si suis naturalibus relinquatur viribus, possit perfecto amore, & tali, qui decet vltimum finem, ample-

amplexari,atque erga ipsum ita affici, vt omnia creata mundi bona,inter quæ multa sunt familiaria & euidentissimè nota, si in cumulū aliquē congerantur vna ex parte, ex altera autē vita æterna,quę Deus est,constituatur,in hunc ita feratur,vt eū solū præeligat, à reliquis verò nauseabundus se auertat,eaque spernat ac despiciat,dum se suamque mentem ipsamet bonitate sūmi boni replet & satiat? Quæ porro est intellectualis creatura, cuius tantus possit esse naturalis amoris erga ipsum Deum ardor,vt omnes suos actus,vi solius amoris compulsus,in ipsum valeat referre,& propter ipsum peragere, nulla habita proprij lucri aut commodi ratione? Quare vt vtrumque hoc quispiam præstet,scilicet vt & amet perfectè Deum vltimum finem,spretis cæteris,& propter eum solum,quæ facit,peragat,supernaturalis amoris dono(quod charitas & gratia appellari solet)iuuetur necesse est. Præsertim homo,qui quia constat ex natura sensitiua & intellectuali,trahitur à bonis sensibilibus, eorum consueta delectatione allectus.

An autem Deus per potentiam suam absolutam possit efficere,vt aliquis vitæ æternæ præmium mereatur, absque dono gratiæ,alia est quæstio profunda & satis subtilis,tamen quia nō est huius negotij & loci,ideo eam prætermittemus.

Sunt præter allatam dictæ Conclusionis probationem & aliæ rationes,quibus confirmari potest eadem conclusionis veritas, quæ non concernunt hominem nisi in statu peccati constitutum,quod nempe homo in peccato existens vitam æternam mereri nequaquam possit, quarum vnam aut alteram afferemus. Prima, cū homo vltimū finem mereri nequeat,nisi sit ad ipsum conuersus per amorem & bonum voluntatis affectum (vt ex supradictis constat) per peccatum autem ab ipso vltimo fine,sit auersus,(vt quoque declaratum est)cōsequens est, quod in peccato constitutus vitam æternam mereri non possit. Altera est, impossibile est,dum aliquis à vita æterna excludi meretur,eandem mereatur: homo autem per quodlibet peccatum à vita æterna excludi meretur,& quam diu est constitutus in peccato,

cato, reatus prædictæ exclusionis semper ipsum concomitatur, qui non tollitur, nisi macula, (de qua supra meminimus) aboleatur, hæc autem non nisi per gratiæ donum, amoueri potest, quapropter impossibile est, quod quispiam in peccato existens, mereri possit æternæ vitæ præmium, nisi prius per gratiæ infusionem reparetur.

De eo itaque, quod homo sine gratia, mereri apud Deum nequeat, hęc dicta sufficiãt; videamus quoque, num in gratia constitutus apud eundem mereri possit, de quo quid sentiendum sequens docet conclusio.

Conclusio secunda. Homo in gratia constitutus, mereri potest vitam æternam. Quæ conclusio, licet ex terminis, vt explicati sunt in præcedentibus articulis, sit clara & manifesta, hac tamen probatur ratione. Vltimus finis humanæ vitæ est vita æterna, in quem assequendum, homo per suos actus conuenientes à Deo ordinatur & dirigitur, vt sunt actus Fidei, Spei & Charitatis: Cum ergo ex eo cum quis liberè mandatis alterius obtemperat, apud eundem meretur, (vt supra declarauimus) sequitur quod homo sequendo liberè diuinæ Maiestatis ductum in suum vltimum finem, eum per hoc obsequium mereatur.

Sed posset hic quispiam interrogare & non ineptè: In quo homo præstet obsequium Deo, ipsique gratificetur, cum eum ducem sequitur, vt summum suum bonum & vltimum finem assequatur.

Respondemus ex eo, hominem Deo rem gratã facere, ipsius obsequendo ductui ad vltimum finẽ, quod per hoc ipse Deus, finem vltimum, quem ex rerũ creatione, & vniuersali gubernatione intendit, consequatur, nempe suæ infinitæ bonitatis repræsentationem. *Vniuersa enim propter semetipsum operatus est Deus, & Ego sum alpha & o primus & nouissimus*, id est, primum efficiens & vltimus omnium finis. *Prouerb. 16. Apoc. vltim.*

Sed ad hanc conclusionem infringendam posset quis sic obijcere, Inter meritum & præmium requiritur æqualitas, (vt

Q ex di-

ex dictis in primo articulo constat) at inter bona hominis opera, ipsamque vitam æternã, magna intercedit inæqualitas; multis enim gradibus bonitatis, actus humanos vita æterna excedit, vt de se est manifest, ergo homo per actus suos, nullo modo potest mereri vitam æternam.

Respondetur, quod actus humani, quibus homo meretur vitam æternam, ex duplici proueniunt principio, nempe ex libero arbitrio, & à gratia Spiritus S. qua liberum arbitrium iuuatur, (vt dictum est) Si autem considerentur, qua parte procedũt ex libero arbitrio, actus humani nõ sunt æquales absoluta quãtitate vitæ æternæ, seu quod idem pollet, non sunt condigni vitæ æternæ, sunt autem hoc modo considerati, condigni alicuius boni creati: Nihilominus aliqua æqualitas inter vitam æternam & actus humanos, prout procedunt, ex libero arbitrio reperitur, quæ æqualitas proportionalis vocatur; fundatur enim ista æqualitas in virtute & facultate hominis ad operandũ, & excellentia virtutis Dei ad præmiandum, tantus enim est actus humanus respectu virium & facultatis humanæ, quanta est vita ęterna, respectu Dei pręmiantis: Hanc autem attendentes ęqualitatem, nostri Theologi dicere solent & bene, quod actus humani, qua parte procedunt ex libero arbitrio, sint meritorij vitę ęternę de congruo; est enim congruum, vt homini operanti secundum facultatem suarum virium, Deus compenset secundum excellentiam suę virtutis. Si vero loquamur de actibus humanis, qua parte procedunt à gratia Spiritus sancti sunt cõdigni vitę ęternę; attẽditur autem hęc ęqualitas inter Spiritus sancti motionem ac ordinationem, qua mouet nos & ordinat per gratiam ad ipsam vitam ęternam; attenditur quoque dicta ęqualitas inter gratiam secundum se sumptam & vitam æternã, gratia enim ex propria essentia facit hominem consortem diuinę naturæ, & sic opera ab eo procedentia, sunt altioris & diuini ordinis.

Secundo contra eandem conclusionem aliquis argumentari potest sic: Si homo meretur de condigno, per suos actus bonos vi-

nos vi-

Digitized by Google

nos vitam æternam, ergo inter hominem & Deum, erit rigorosa iustitia, nam de condigno mereri, videtur idem quod secundum rigorem iustitæ mereri, hoc autem est falsum, & contra dicta superius in primo articulo, in quo declarauimus, quod hominis ad Deum non sit rigorosum meritum, sed modificatum, & improprium, quale est inter seruum & Dominum, ergo cōclusio secunda est falsa.

Huic obiectioni posset aliquis respondere, quod licet homo per actus, vt procedunt à libero arbitrio, non mereatur vitam æternam, merito rigoroso, per actus tamen, vt procedunt à gratia Spiritus sancti, meretur vitam æternam, merito stricto & rigoroso. Sed hæc solutio, quamuis aliquid apparentiæ habeat, in rei veritate nihil valet; ex ipsa enim sequitur, quod gratia adeo exaltet hominem, vt extra statum seruitutis ad Deum, supremum Dominum constituat, quod est blasphemum dicere.

Quare ad argumentum propositum, respondetur, quod condignitas seu æqualitas præmij & meriti non sufficit ad rigorosā iustitiam: requiritur enim vltra æqualitas personæ merentis & præmiantis, id est, quod vna alteri non subijciatur; potest enim bonum, quo compensatur meritum, esse eiusdem valoris, cum bono, quod est præmium, & tamen ille qui meretur, esse seruus.

Tandem pro complemento huius articuli, aduertendum est, quod bona opera hominis iustificati, habent vim consequendi vitam æternam, ex alio capite, nempe ex fœdere & pacto, quod Deus inijt & pepegit, cum vniuerso humano genere, dum se toties promisit daturum vitæ æternæ præmium, modo nos eius voluntati accommodaremus, & quæ à nobis exiguntur opera & obsequia, ipsi præstaremus. Hoc tamen attendēdum est, quod opera hominis iustificati non accipiunt vim merēdi ex isto pacto, ipso enim secluso, & semota quacunque alia ratione & superadditione, actus humani sunt meritorij vitæ æternę de congruo & de condigno (respectiuè modo declarato) ex eo solum quod à libero arbitrio & gratia Spiritus S. procedant, per quam

homo à Deo in vitam ęternam ordinatur. Id autem, quod pactum & promissio Dei addit, est nouus quidam titulus, cujus securitatis & cōfidentię ratione, iustificatus potest expectare, propter bona opera vitam ęternam, quo homini calcar & stimulus additur, vt sit alacrior & promptior ad mandata eius exequenda, atque sic sese Deus humanis moribus accommodat, & nostræ fragilitati conscendit.

Postquam iā tres hosce pertractauimus articulos, causa declaranda est, quæ nos commonuit, vt sic eos explicaremus: posset alicui videri, quod ipsos non adeo oportuno posuissemus loco. Quod igitur nos ad horum explicationem adduxit, est, vt cęcitati & ignorantię quorundam hominum, maximè vero ab Ecclesia Catholica alienorum subueniremus, pręsertim dum in ea versamur enucleanda quęstione, quę multis circundata & inuoluta difficultatum corticibūs est, quorum qui non prius penetrarit amaritudinem & duritiem, ipsius veritatis nucleum difficulter assequetur. Ea enim modo est, quorundam hominum in acquirendis scientijs ratio, vt contemptis inferioribus scientijs ad altiores, implumes audeāt euolare, cum tamen non sint contemnenda minima, sine quibus magna subsistere nequeunt. Nam vt domus sine fundamento, arbor absque radice facillimè corruunt, sic scientia sine solido principiorūm fundamento collabatur, & prorsus euanescat, necesse est.

Vnde illi, qui studio Theologię nauare operam decreuerit, nisi minoribus sciētijs instructus & pręmunitus accedat, ex quarum fontibus eam rerum & terminorum notitiā, quę ad altissimarum veritatum indagationem & assecutionem necessaria sunt, hauriat, in densissimis tenebris versabitur, licet se in ipsius veritatis luce versari existimet. Hinc fit, vt plurimi huius temporis pręsertim Hęretici turpiter errent, dum Philosophicarum disciplinarum ieiuni ad supremam scientiam, Theologiam conscendere pręsumunt, & illius arduas & intricatas quęstiones explicare ac enodare prętendunt.

Digitized by Google

tendunt. Vnde sequitur, quod obruti minimarum veritatum & terminorum caligine, non aliter, quam cæcus de coloribus, de Theologicis veritatibus, iudicare possunt.

Quis enim quæso resoluere poterit quæstionem de Iustificatione impij, hisce temporibus adeo controuersam, nisi per moralem Philosophiam, quid & quotuplex sit Iustitia, nouerit & perceperit, vt generali doctrina applicata, ad terminos quæstionis propositæ, addendo etiam ex sacris literis, quod necessum est, pro aperienda veritate, conclusionem Catholicam deducere valeat ac sufficiat? Quis quæstionem de Merito bonorum operum, quam præ manibus habemus, non parum hac nostra tempestate exagitatam decidere poterit, nisi ex eadem morali scientia, quid & quotuplex Meritum sit, quid Dominium, & cæt. præcognitum habeat? Quis à tot dubijs, quæ in mysterio sanctissimæ Trinitatis & in varijs tractatibus Theologicis oriri solent, se extricare valebit, nisi apprimè in Metaphysica versatus fuerit?

Atque hæc deploranda Nouatorum peruersitas principaliter me eo adduxit, vt huius materiæ terminos, ipsaque quasi principia tribus præcedentibus articulis exponerem, vt ita facilius ab ipsis percipi possit Catholica veritas, circa quam huius disputationis cardo versatur, quamque in sequenti articulo deductam assignabimus.

ARTICVLVS IV.

An homo iustificatus, mediante nimirum passione & morte Christi, per bona opera mereatur vitam æternam?

RECTA doctrinæ methodus exigebat, vt propositæ difficultatis explanationem, duarum aliarum dubitationum resolutio præcederet; Nam cum in proximo articulo conclusum

sit, nullum hominem constitutum in peccato posse mereri vitam æternam, ibidemque etiam constiterit, nullum hominem per proprios actus posse ad statum merendi, à quo per peccatum deciderat, restitui, sequebantur immediatè duo dubia exagitanda. Vnum est; An homo constitutus in peccato, possit per diuinam potentiam restitui in pristinum merendi statum. Alterum est; An dato, quod hoc verbum non sit impossibile apud Deum, potuisset Deus prædictum beneficium homini conferre, mediante passione & morte vnigeniti Filij sui incarnati: Sed quia in vtroque puncto, satis liquet veritas, superfluum iudicaui, speciales articulos mouere, sed paucissimis illam patefacere.

Quantum igitur attinet, ad primum dubium, satis superque constat ex declaratis, affirmatiuè esse respondendum, quod sic deducitur. Per hoc homo aptus est ad merendum vitam æternam, quia est constitutus in recto tramite vitæ spiritualis, nempe bene dispositus per Spiritus S. charismata, erga Deum vltimum suum finem: Cum autem non sit impossibile Deo, restituere prædicta Spiritus S. dona amissa per peccatum, (vt de se est manifestum) sequitur quod non sit Deo impossibile, restituere hominem ad pristinum gradum & statum merendi, à quo per peccatum deciderat; & hæc de primo dubio.

Ad secundum dubium dicendum, quod cum Deus per seipsum, immediatè potuisset hominem collapsum erigere & reparare, nihil obstat, quod intercedēte Vnigenito filio Dei incarnato, per passionē & mortē eius, hominē ad antiquā dignitatem eueheret & extolleret, imo reparandæ naturæ humanæ, nullus fuisset conuenientior modus, quam quod Verbum Dei factum caro, in seipso nostras miserias suscipiens, satisfaceret pro nobis, & restitutionem nobis amissorum bonorum mereretur; licet varijs modis Deus, iuxta suam omnipotentiam, potuisset hominem restaurare, hic vnicus fuisset, & singularis propter multas causas, quas SS. Doctores assignant, & inter alias, non minima hæc est, quia in isto modo reparandi hominem, magis diui-

diuina bonitas manifestaretur; nam vltra infinitam Dei potentiam & misericordiam, iustitia Dei reluceret, dum pro commissa offensa ab homine, plena secundum rigorem iustitiæ fieret exsolutio.

His dictis ad motum dubium in præsenti articulo accedamus, cuius titulus satis perspicuus est; Quæritur enim, An homo eo modo, quo de facto iustificatus est, per passionem & mortem Christi Redemptoris nostri, mereatur per actus bonos, quos ipsemet homo facit, vitam æternam; Intelligimus autem, tam Catholici, quam Hæretici, nomine actuum bonorum illos actus, qui ex suo genere sunt boni, v.g. Honorare parentem, dare eleemosynam, & cæt.

Vnum tamen obseruandum venit pro præsenti titulo, quod quantum ad Hæreticos attinet, idem est quærere: An opera bona prosint, vel iuuent, aut sint causa consequendæ vitæ æternæ, quam quærere, an sint meritoria vitæ æternæ, eiusdem enim est difficultatis apud ipsos: Nam si prædicti admitterent, quod per opera bona, homo iustificatus iuuetur ad consequendam vitam æternam, aut saltem augmentum vitæ æternæ, non est dubium, quin quoque faterentur, prædicta opera esse meritoria vitæ æternæ. Verum est, quod Ioannes Caluinus ægrius fert, quod opera bona hominis iustificati, à Catholicis vocentur Meritum, quam quouis alio titulo insigniantur, sed vt patet ex locis Caluini in fine relationis citatis, & infra citandis, quæstiones prædictæ, quantum ad rem apud eundem coincidunt. Neque obstat his, quæ diximus, quod Ministri collocutores inter disputandum faterentur opera prædicta esse causam vitæ æternæ consequendæ, & non meritum, nam multoties profert homo inter arguendum, aliam, quam mente conceperat sententiam, idque vel propter feruorem disputationis, vel passim propter vim argumenti, quo premitur, euenire solet.

Lib 3. instit. c. 15. §. 2.

Circa propositam quæstionem, duæ sunt oppositæ, ac è diametro pugnantes sententię. Vna est Lutheranorum & Caluinistarum, qui pertinaciter tuentur, opera bona hominis iustificati

cati

cati per passionem & mortem Christi, non esse meritoria vitæ æternæ, neque ad illam prodesse, quinimò prædicta opera sumpta secundum se dicunt abducere potius à vita æterna, cum fateantur esse peccata & inquinamenta ac sordes, vt latè superius illorum mentem explicaui, sententiamque Lutheri & Caluini expressis illorum verbis posui, à quibus ipsorum asseclæ non recedunt, nec recedere possunt, quin doctrinam illorum de Iustificatione subuertant; Verum tamen est, aliquos Lutheranos in modo loquendi temperatius in hoc puncto, de valore operum procedere: fatentur enim opera bona esse necessaria ad vitam æternam necessitate præsentię, sed non necessitate efficientię, quod idem Lutherus & Caluinus in rei veritate dicunt, licet alijs verbis explicent. Aiunt enim, quod opera bona sequuntur necessariò hominem iustificatum, & addictum vitę æternę, tanquam boni fructus ex bona arbore, vt latius supra Caluini mentem declarauimus.

1. Conclusio. Altera sententia est prędictę opposita, nimirum quod opera bona hominis iustificati, per passionem & mortem Christi, iuuant, prosunt, sunt causa & meritum vitę æternę, & hęc est Catholicorum sententia, ac nostra conclusio quam multis argumentis confirmabimus.

Primum argumentum tale est. Homo, vt de facto est iustificatus, per passionem & mortem Christi, est reparatus & restitutus ad statum, à quo ceciderat natura humana per peccatum Adę, sed Adam ante peccatum fuit in statu merendi vitam æternam, ergo homo, vt de facto est iustificatus, per passionem & mortem Christi, est restitutus ad statum merendi vitam ęternam, & per consequens per actus bonos meretur illam.

Huius argumenti pręmissę sunt expendēdæ, quantum autem ad minorem, nulla credo est difficultas, tum quia non auderent Aduersarij negare illam, dum manifestè videant, non posse negari, nisi destruendo prima principia moralia, (vt patet ex declaratis in pręcedentibus articulis) tum etiam quia hactenus impossibilitatē ad merendū, quam ipsi ponunt in homine iustificato,

cato, non aſcribunt naturæ humanæ, abſolutè loquendo, ſed prouenire affirmant ſolùm ex ſtatu peccati: nam (vt ſuprà fuſius illorum mentem explicando diximus) perſuaſum habẽt, hominem de facto iuſtificatum, eſſe peccatorem, & delictorum ſordibus inquinatum, Deoque infenſum atque exoſum, atque ſic conſequenter nihil boni præſtare poſſe, quod ſit meritorium vitæ æternæ. Reſtat ergo minorem propoſiti ſyllogiſmi ſolidam & firmam eſſe: Ad maiorem autem eiuſdem confirmandam, quibuſdam argumentis pergamus.

Primum tale eſt. Status merendi ac priſtina dignitas, à qua cecidit primus parens, eſt reparabilis, per paſſionem & mortem Chriſti (vt ſuperius declaratum eſt) igitur ſi non eſt actu reparata in homine de facto iuſtificato, ſequitur alterum de duobus, nempe; Quod vel paſſio Chriſti & mors fuerit pretiũ inſufficiens ad redimendam naturam humanam, vel, Quod Deus iniuſtè egerit, nolens ſcilicet reſtituere hominibus bonum illud, quod Chriſtus tanto pretio comparauit. Sed neutrum ex his poteſt dici. Ergo ſtatus merendi, & priſtina dignitas, à qua primus parẽs cecidit, eſt actu per paſſionem & mortem Chriſti in homine de facto iuſtificato, reparata; & ſic maior probanda vera. Subſumpta huius poſtremi ſyllogiſmi eſt bimembris; & quantum ad ſecundam partem ſatis eſt euidẽs; nec quantum ad primam, nimirum quod paſſio Chriſti non ſit pretium inſufficiens, probatione vlla indiget, eamque Adverſarij lubenter concedunt, plenisque buccinis efflant. Conſtat verò quoque in ſacris literis, ait enim Iſaias. *Scies quia ego* Cap. 60. *Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob; pro ære afferã aurum, & pro ferro afferam argentum.* Et Paulus 1. Corinth. *Empti eſtis pretio magno.* Cap 6.

Quod ſi fortè aliquis ſequelam maioris huius poſiti argumenti, negare voluerit, aliam cauſam aſſignare tenetur, præter duas à nobis, in primo conſequenti indicatas, quare cùm dignitas collapſa humanę naturæ per Chriſtum Mediatorem reparari potuerit, actu reparata non fuerit, quam de facili ex-

 cogi-

Digitized by Google

cogitare non poterit, nisi forsitan dicat, Christum Redemptorem licet potuisset reducere hominem ad pristinum statum, de facto tamē pretiosissimum suum sanguinem, ad plenam naturæ humanæ reparationem applicare noluisse. Sed huic allatæ causæ repugnat; tum immensa charitas, qua Christus sponsam suam Ecclesiā dilexit, pro qua passioni & morti acerbissimæ sese tradidit; tum etiam quia Verbum Dei pro remedio generis humani Incarnatum dedeceret, quod collapsam naturam humanam in pristinum statum, à quo ceciderat, non eueheret ac extolleret, vt sequenti ratione probatur. Sicut verbū artificis (quod idæam vocamus) est illud, per quod artifex condit artificium; ita per idemmet verbum, collapsum artificium restaurat & renouat: pariter ad Verbum Dei, quod secundùm diuinam naturā est illud, *per quod omnia facta sunt*, & per quod natura humana fuit formata perfecta in vita spirituali & speciosa, coram oculis Dei, pertinet, vt per ipsum summus opifex Deus, illam collapsam reparet. Dedeceret ergò Verbum Dei Incarnatum, de cœlis ad naturam humanam redimendam missum, quod illam reparare potuisset, reducendo ad pristinum statum & noluisset. Hanc verò, quam dicimus naturæ humanæ reparationem, à Deo de facto per Verbum suum perfectam esse, per quod & vniuersa condita sunt, apertis verbis Apostolus ad Coloss. 1. testatur. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

Ioan. 1.

Hactenus de Imagine seu Verbo Dei secundum diuinam naturam, vt per ipsum omnia cōdita sunt: sequitur de eodem Verbo Incarnato, vt per ipsum natura humana reparata est. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare*

liare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. *Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis; nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Per quæ Apostoli dicta habetur, nos per Christum Mediatorem reparatos fuisse ad pristinum statum, à quo primus parens ceciderat, nimirum ad Dei amicitiam, sanctitatem, immaculatam & irreprehensibilem vitam.

Secundò probatur maior suprapositi principalis syllogismi. Si homo non fuit reparatus ad pristinam dignitatem, & statum merendi, à quo cecidit; sequitur quod Adam maioris efficaciæ fuerit ad inficiendam naturam humanam, eamque prosternendam, quam Christus ad illam reparandam & erigendam, & sic plus abundasse delictumt Adæ, quam gratia Christi. Consequens est falsum, & expressè contra Paulum, qui ait Romanor. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ, accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Et infra. *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia.* Ergo status merendi & dignitas, à qua excidit protoparens, est actu restituta per passionem & mortem Christi; & sic maior probanda vera.

Tertiò prædicta maior probatur. Vita spiritualis, qua Adã viuebat, quamque per peccatum extinxit, est actu à Christo, homini de facto iustificato restituta per eiusdem passionem & mortem. Sed Adam per eandem spiritualem vitam fuit in statu merendi, quandoquidem per ipsam Deo placebat, per quam etiã vitales operationes spirituales, Deo gratas & acceptas exercere poterat. Ergo per passionẽ & mortẽ Christi, est homo reductus ad pristinũ merendi statum & dignitatem, & per consequens maior probãda vera. Quod aũt Christus actu restituerit vitam spiritualem, à qua cecidit primus parens, hominibus iustificatis per ipsius passionem & mortẽ, sacrę literæ affirmant.

Thren 5. Ieremias enim loquens de Christo ait. *Redemptor vitæ*. Item in
Cap 3. Acta Apostolorum. *Auctorem vitæ interfecistis*. Et 1. Ioann. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam*. Quod etiam
1. Corint 3. iam Paulus expresse dicere videtur, dum ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Et infra:
Ibidem. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem*. Cùm enim viuificare idem sit, quod viuum facere, sequitur manifestè, quod secundùm sententiam Apostoli, iustificati per sanguinem Christi, recipiant ab eodem Christo vitam spiritualem, quam perdidit primus parens. Vnde non est mens Apostoli, vt per Christum ipsi insertí, viuant formaliter mediante vita, qua Christus spiritualiter viuit, vt hæretici commentantur. Quod patet etiam in comparatione, quam instituit Apostolus in proximè allegatis autoritatibus inter Christum & Adam, vnà cum antithesi; clarè enim intendere videtur, quod sicut Adam totum genus humanum interfecit peccando, taliter vt quilibet homo, trahat ab Adam mortem, seu peccatum, quo formaliter est mortuus & peccator: pariter quilibet homo insertus Christo, recipit à Christo vitam spiritualem, qua formaliter in seipso viuit. Apud Apostolum igitur vita Christi spiritualis, respectu cæterorum hominum, non formaliter, sed efficienter se habet: quod clarius apparet per postremæ autoritatis antithesin; ait enim, quod primus homo Adam factus sit in animam viuentem, id est, tantum in animam, qua ipse spiritualiter viuebat, Deoque placebat, & acceptus erat, & non per quem cæteris hominibus vitam causaret, redderetque Deo gratos & acceptos; sed secundus Adam Christus factus est in spiritum, quo ipse viuebat spiritualiter, vt sibi adhærentes ad vitam reduceret.

Item quod homo iustificatus in seipso, habeat prædictam vitam spiritualem, per quam Deo placeat, constat ex eo, quod Christus vocatur *Primogenitus*, & nos eius *Fratres*, iuxta illud
Cap. 8. ad Rom. *Primogenitus ex multis fratribus*. Vnde sequitur, quod

simus,

ſimus eiuſdem naturæ, & vitæ ſpiritualis cum Chriſto, hoc tamen intercedente diſcrimine, quod in Chriſto, plenitudo vitæ ſpiritualis prædictæ inhabitet, iuxta illud Ioannis: *Plenum gratia & veritatis*. & ad Coloſſ. *Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Sed reliqui homines limitatam participant ſpiritualem vitam. Cap. 1. Cap. 1.

Præterea hoc idem patet ex alijs, quæ Paulus dicit, Deum ſcilicet conuificaſſe nos, & conreſuſcitaſſe in Chriſto. Ad Epheſ. c. 2. *Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiã charitatem ſuam qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia ſaluati eſtis) & conreſuſcitauit.* Et ad Coloſſ. c. 2. *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & in præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo.* Ex quibus habetur, quod DEVS reduxerit nos ad illam vitam, cuius priuatio eſt mors peccati; & per conſequens, quod DEVS reparauerit naturam humanam, quam primus parens peccando exſtinxerat.

Neque ex eo, quod Apoſtolus dicit, nos eſſe conuiuificatos in Chriſto, ſicut neque ex alijs eiuſdem dictis, nempè quod ſimus viuificati in Chriſto, iuſtificati, ſanctificati in eodem, licet inferre, quod nos viuamus formaliter mediante vita Chriſti, vel ſimus ſancti, mediante ſanctitate Chriſti, & iuſti, mediante iuſtitia Chriſti &c. vt Hæretici ſomniant. Nam illa præpoſitio In, non reſtinguitur ad cauſam formalem, imò nunquam, aut valdè raro dictam cauſam deſignat; paſſim autem denotat cauſam efficientem, præſertim in Sacris literis. Acto. 17. *In ipſo viuimus, mouemur & ſumus.* Et ad Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ad Coloſſenſes loquens idem Apoſtolus de Chriſto, ſecundùm diuinam naturam ait. *In ipſo condita ſunt vniuerſa.* Quod ſi præpoſitio In, in his autoritatibus deſignaret cauſam formalem, quæ abſurda ſequantur, quiſque videt: Sequeretur enim, quod creaturarum eſſe, & vita, ſit ipſummet eſſe & vita, quæ eſt in Deo: & pariter motus Cap. 1.

quo dicuntur creaturæ moueri, esset motus eo ipsomet Deo. Restat ergo, quod præpositio In, in omnibus prædictis propositionibus denotat causalitatem effectiuam,(vt ita loqui liceat)Christi,respectu nostri. Quocirca moderni Hæretici, cum ex præpositione In,adiunctam Christo,in autoritatibus sacræ Scripturæ,quæ loquuntur, de nostra sanctificatione, iustificatione,viuificatione &c.deberent inferre, Christi iustitiam & reliqua attributa,de nobis non prædicari formaliter, sed potius quod à Christo efficienter procedant in nobis consimiles formæ,oppositum colligere volunt. Qua in re summoperè miror, præsertim illorum aliquos,in terminis Philosophicis satis exercitatos,quod adeo cæcutiant in re tanti momenti,& tam manifesta, vt propter inaduertentiam significationis, vnius voculæ, turpiter in maximam Christiani orbis perniciem & exitium hallucinentur, totque mortalibus æternæ perditionis causa sint. Sed nobis dicant, si placet, quo pacto ipsorum sententia concordet cum dicto Ioannis,qui agens de Christo dicit. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Iuxta Aduersariorum enim mentem dici non potest, quod de plenitudine eius iustitiæ & sanctitatis aliquid acceperimus, sed quod plenitudo iustitiæ & sanctitatis Christi nobis applicetur, sicut Caluinus fatetur de Christo dicens. *Datus est enim nobis in iustitiam, sapientiam, sanctificationem.* Neque video secundum eorundem mentem stare posse, quod Deus nobis dederit per intercessionem Christi maxima & pretiosa dona, qua efficiamur consortes diuinæ naturæ, vt habetis 2. Petri 1. cap.

Lib 3. Insti. cap. 1. & §. 1.

Quartò probatur, toties commemorata principalis argumenti maior. Iustificati per Christum Mediatorem regenerātur spiritualiter; Ergo recuperāt esse spirituale, in quo primus parens fuit generatus, & postea per peccatum illo destitutus: Recuperat igitur quicunque iustificatus per Christum Mediatorem, dignitatem & statum merendi, in quo constitutus fuit primus parens. Assumptum constat ex verbis ipsius Saluato-

natoris. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Item ex Paulo ad Tit. 3. *Saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Prima argumenti consequentia est euidens: nam si aliquis regeneratur, necessum est, vt recuperet illud esse, in quo fuit primo generatus. Ergo recuperat homo per Mediatorem Christum, illud esse spirituale, in quo primus parens fuit generatus. Secunda autem consequentia, probatione vix indiget: nam si homo recuperauit antiquum esse spirituale, quo Adam præfulgebat, certum est quod sit restitutus ad eandem dignitatem, vt ipsius opera Deo placeant, & meritoria sint vltimi sui finis, atque consummatæ beatitudinis, quam vitam æternam vocamus.

Iam quæ hactenus dicta sunt, sufficiant in confirmationem maioris, primi syllogismi, pro conclusione probanda à priori, & per propriam illius causam allati, quam pluribus argumentis stabilire poteramus: sed quia reparatio hominis ad statum merendi, coincidit cum reparatione, propriæ hominis rectitudinis, seu inhærentis iustitiæ, à qua cecidit primus parens, imò vnum & idem sunt, (vt suo loco manifestabimus) & de iustificatione impij, specialem discutere quæstionem, in secunda parte huius opusculi decreuimus; idcircò huic puncto supersedendum duximus. Operæpretium quoque esset, iam ex sacris literis in proprijs terminis, (vt dicunt) Catholicam nostram conclusionem comprobare; nisi prius fundamentum partis aduersæ, super quo execrandum suum errorem fulsit, subuertendum & eliminandum esset, quod sequenti argumento præstare conabimur.

Secundum argumentum. Si aliquid impediret, quo minus homo iustificatus per Christum Mediatorem, possit mereri vitam æternam, esset illud, quod nostri Aduersarij dicunt: nimirum quod homo postquam est iustificatus, perseuerat peccator, inquinatus & sordidus; tum etiam

ex se

ex se Deo infensus, & exosus, illumque in omnibus actibus offendit, atque hoc est vnicum illorum fulcrum, super quo stabilire suam sententiam nituntur. Sed omnes prædictæ propositiones, sunt falsa dogmata & hæreses patétissimæ. Ergo sententia Aduersariorum super illis fundata, pariter est falsa, atque à Christianis finibus extirpanda. Minor huius positi argumenti, quantum ad ambas partes est probanda: & primo mõstremus in homine, vt de facto per Christum Mediatorem est iustificatus, non esse sordes, & inquinamenta, atque peccata.
Psalm. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* Ecce idoneos, vt inhabitẽt æterna tabernacula, illos scilicet, qui sine macula recedentes ex hac vita, intrent cælestem patriam: Si autem addatur, quod nullus infectus peccatis, sordibus & inquinamentis, quantumuis tectis nitore, & mundicia Christi, inhabitet cœlestem patriam; sequitur quod sordes & peccata iustificatorum, dum sunt in hac vita, omnino mundentur & deleantur per sanguinem Christi, ac penitus euanescant, & non solum, quod nitore & mundicia Christi tegantur seu velentur, vt nostri Aduersarij docent.

Quod si respondentes huic argumento, dicent cœlestes incolas retinere in cælo peccata, maculas & sordes, atque in Dei consortium, intuitu Christi duntaxat admitti, nihil absurdius ac magis impium, nec quod potius Christianas aures offendat, dici posse nemo non videt. In cuius enim mentem venire potest, aut vnquam incidit, Dei cohabitatores sordibus & peccatis scatere, quos potest, si vult Deus plené mundare, & ad pristinum statum reintegrare? Ait Paulus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ille sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Igitur ciues triumphantis & gloriosæ Ecclesiæ sunt absque macula & ruga, nec minimo defectu notabiles. Dicitur quoque Sap. 3. *Fulgebunt iusti, &*

Digitized by Google

tanquam scintillæ in arundineto discurent. Quod ad minus de cælestibus ciuibus intelligitur; & de ipsis expresse dicit Dan. Cap.12.
Fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Matth. quoq;. *Tunc* Cap.13.
iusti, sicut sol fulgebunt in regno patris eorum. Præterea cum hominis perfecta beatitudo, sit plenitudo bonitatis, quæ in Dei adeptione consistit: sit autem omnino impossibile, cor & affectum à plenitudine bonitatis, quam quis possidet aliquo modo auertere; sequitur quod penitus sit impossibile, vt aliquis beatus voluntatem, & affectum in minimo à Deo auertat, & per consequens, quod aliquod peccatum retineat.

Item prædicta prima pars minoris confirmatur, autoritate eiusdem Psalmistæ. *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et infrà. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor; lauabis me & super niuem dealbabor.* Qui enim magis mundus & dealbatus quam nix, quomodo sordibus scatebit? Item, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et Isaiæ. *Deleui vt nubes iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te.* Ezechielis quoque. *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideũ de carne vestra, & dabo vobis cor carneum: Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Per hoc, quod dicit (auferam cor lapideum) id est, firmatum & induratum in peccato, diuinæq; voluntati resistens; (& dabo vobis cor nouum) id est, ad Deum conuersum; (carneum) scilicet molle, hoc est aptum, vt voluntas diuina in ipso imprimatur, quatenus in Dei præceptis ambulent, & iudicia ipsius custodiant ac operentur: colligitur manifestè, quòd Spiritus S. loquatur, de perfecta mundatione, & abrasione peccatorum, & non solum de tegumento illorũ. Quod

Psal.50. Psal.118. Cap.44. Cap.36

S ex eo

Digitized by Google

ex eo clarè deducitur, quia cor auersum à Deo, quale est cor peccatoris (in auersione enim à Deo consistit ratio peccati, aut completur) & cor ad eundem conuersum, quale est hominis iusti, directè opponũtur; per positionem autem vnius oppositi, exclusio alterius oppositi intelligitur; ergo & cæt. Pari modo Psalmista reparationem hominis impij designat, à Deo

Psal. 50. sic petens. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Vides expulsionem termini à quo, quam postulat, sequitur petitio termini ad quem. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Item Ioan-

Cap. 1. nes eidē primæ parti minoris prædictæ clarè adstipulatur. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et Act. 22. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua.* Præterea Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu.* Cùm enim in homine nihil possit esse damnationis, id est, propter quod damnetur, aut damnationi sit obnoxius, præter peccatum: colligitur euidenter, quod in his, qui sunt iustificati à Iesu Christo, nullũ sit peccatum. Respondetur tamen, pro parte Aduersariorũ ex eo, ab Apostolo dici his, qui sunt in Christo Iesu, nihil damnationis inesse, quia propter iustitiam Christi, qua eorum sordes & peccata teguntur, liberati sunt ab æternæ damnationis reatu, cui erant obnoxij. Hæc tamen expositio stare non potest, non solùm quia violenta est, verùm etiam quia textui nō concordat. Est enim sententia allegata, quæ exordium dat 8. cap. ad Rom. conclusio, vt coniunctio Ergo designat: & per consequens verus ipsius sensus ex declaratione antecedentis, ex quo illam Apostolus deducit, accipiendus est. Antecedens autem est sententia, quæ finem imponit præcedenti cap. 7. quę fuit conclusio multorum præcedentium illam, in eodem 7. c. *Ego igitur mente seruio legi Dei, & carne legi peccati.* Hoc igitur antecedens expendamus, quæ duas partes cōtinet, vt videtur, & certum est, quod ex vltima nempè, Carne autem &c. non deducitur conclusio: Restat quod inferatur ex prima parte, scilicet, Ego mente seruio legi Dei. Seruire autem mente legi Dei, nihil aliud est, quam affectu appetitus mentalis, seu intel-

Digitized by Google

lectualis, quem proprio nomine voluntatem dicimus, diuinę legi se conformare, eiusdemque mandatis velle parere, & nulli diuinæ legis transgressioni cōsentire. En tibi sensus antecedentis clarissimus: ex hoc autem infert conclusionem prædictam, nempe. *Nihil ergo nūc damnationis est*, &c. Discerne modo, si cum illo antecedente concordat, expositio conclusionis ex parte Aduersariorum allata, & comperies, quod dicta expositione stante sententia quam in forma conclusionis posuit Apostolus, non potest esse conclusio, vt clarè patet. Vel dicant nobis quæso Aduersarij, vnde prædicta conclusio 8. cap. deducitur ab Apostolo. Nisi forte asserant, quod illam intulit ex verbis præcedentibus immediatè conclusionem præfatam 7. ca. quę sic habent. *Gratia Dei per Iesum Christum*, &c. Sed hoc ridiculum est, quia prædicta verba tenent se cum exclamatione, quam Paulus interserit sermoni, nempè: *Infelix ego quis me liberabit*, &c. & postea orationem cōtinuat concludendo: *Ego igitur mente seruio legi Dei*, &c. Vnde patet euidēter, quod prædicta sententia 8. cap. sit conclusio illata, ex prędicti iam 7. cap. conclusione: tum quia si præfata verba: *Gratia Dei* &c. essent antecedens pręfatę cōclusionis 8. cap. quoq; essent antecedēs conclusionis 7. cap. & multo potiori titulo, quia conclusio 7. cap. immediatius præallegata verba, nempè: *Gratia Dei* &c. sequitur. Quod si concedat Aduersarij, nimirum prædicta verba *Gratia Dei* &c. esse antecedens præmemoratæ conclusionis 7. cap. necessariò debent fateri nobiscum in iustificatis esse iustitiam seu gratiam inhærentem: & ratio subest plana, quia ex imputatiua iustitia, & gratiosa extrinseca acceptatione Dei per Christum Mediatorē, quam pars aduersa accipit pro antecedente, non sequitur, quod aliquis seruiat mente legi Dei, & solummodo dissentiat carnali appetitu, quod Paulus deducit: bene aūt sequitur ex iustitia seu gratia inhærente. Itē verba quæ Apost. adiungit conclusioni prædictæ 8. cap. nempè, *Qui non ambulant secundū carnē*, quę ad eandē conclusionē spectāt, indicant plane hoc esse antecedens: nimirū, mēte seruire legi Dei, & carne legi peccati. Explosa igitur expositiō partis ad-

uersæ habemus, nostram sententiam planam, videlicet, in iustificatis nullum esse propriè loquendo peccatum, quæ supposita declaratione antecedentis immediatè à priori ex illo colligitur. Nam si prædicto antecedenti addas, quod absq; voluntatis consensu nemo peccat mortaliter, id est, nemo auertit se à Deo, vt vltimo fine, deducitur expresse, quod in nullo iustificato sit peccatum aliquod mortale. Item ex conclusione 8. capitis, stante præfata declaratione dicti antecedentis quoque infertur, sed à posteriori prædicta nostra sententia, cuius deductio directore non indiget.

Hanc eandem veritatem, disertis verbis habemus 1. Cor. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Ad Ephes. quoq; 1. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Verùm in hac proxima autoritate, attendenda sunt illa duo verba, nempe, In Charitate: quibus non est mens Spiritus S. exprimere, quod sicut sumus electi, vt essemus sancti, atq; immaculati, pariter simus electi, vt simus in charitate (vt patet intuenti) sed dicta verba rationem formalem, qua sumus sancti & immaculati, declarant. Nam sanctitas & munditia in eo consistit, quod voluntas sit Deo coniuncta per amorem, eidemque præ omnibus alijs rebus adhæreat: hæc autem voluntatis vnio & communio cum Deo, est effectus formalis charitatis, quantumuis minimæ, primus & per se ei debitus, sicut effectus formalis animæ est, dari vitam naturalem. Cum autem indubitatum sit, quod charitas inhæreat cordibus nostris, manifestè colligitur, nos non extrinseca munditia esse mundos, nitidos & immaculatos, sed potius munditia & nitore nobis inhærente. Idem Apostolus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Coloss. 1. *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Ad Tit. 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.*

Digitized by Google

tate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Item cap. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Et ad Hebræos loquens de Christo c. 1. *Portansq́, omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens.* Præterea 1. Ioan. 1. *Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato.* Denique Apocal. 1. *Et dilexit nos, & lauit à peccatis nostris.* Ecce igitur candide Lector, quot sacræ Scripturæ autoritates prætermissis alijs sententiam Catholicam patefaciunt: nimirum quod iustificati per sanguinem Christi sint mundati, loti, abluti à sordibus ac inquinamentis: Item quod sint ablata peccata ab ijsdem, deleta ac purgata: præterea quod sint irreprehensibiles, & Deo acceptabiles; apti vt in via spirituali bonis operibus ambulent. Moderni autem Hæretici aiunt nullum aliud recipere iustificatos beneficium, per sanguinem Christi à Deo, quam eorum sordium, nocuorum & peccatorum tegumentum. Pondera ergo, si placet, cui magis credendum, num Spiritui S. clarè loquenti, an verò nouis Euangelij reformatoribus? Sed ab ipsis causam libenter scirem, quare cùm sordes & peccata potuerint à Deo per Christum Redemptorem ab hominibus ipsius militiæ asscriptis tolli, & non sint sublata, cùm tota Christi Saluatoris nostri solicitudo, ardensque charitas, qua flagrabat hoc postularet; & quare sponsam Ecclesiam, pro qua sanguinem effudit, & acerbissimæ morti sese tradidit, in paupertate & miseria constitutam reliquit, sordidam, infectam ac inquinatam non mundauit, ornauit & composuit, ac vt talem decebat sponsum, non aptauit: vel igitur non potuit id præstare: vel noluit. Quicquid dicent, est absurdum, & impium. Restat ergo prima pars minoris secundi argumenti pro conclusione solida & firma.

Ad secundam probandam accedamus; nimirum iustificatum per Christum Mediatorem ex se, non esse Deo infensum, & exosum: Primò patet eius veritas, ex prima nunc probata parte, per quam constat, quod in homine iustificato non maneant peccata. Nam cùm illud, quod impediebat amicitiam

Dei, & hominis, illamque interruperat, & impedire ac interrumpere valet, est duntaxat peccatum, vt de se est notum, & Isaias indicat. *Sed iniquitates diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, nè exaudiret.* Sequitur non solùm, quod homo postquam est iustificatus, non sit Deo infensus & exosus, verùm etiã quod sit restitutus ad pristinam Dei amicitiam, & beneuolentiam, à quo statu ceciderat primus parens, atque vniuersum genus humanũ cum illo. Item probatur prædicta secunda pars sic. Homo reconciliatus Deo, nõ est infensus & exosus Deo, sed potius Dei amicus; quia sicut de reconciliationis intrinseca ratione, est amicitia, i. vnio diuersarum voluntatũ: ita de intrinseca ratione recõciliationis est diuersarũ voluntatũ coniunctionis pristinæ reintegratio. Sed homo, postquã est iustificatus, est Deo reconciliatus. Ergo homo iustificatus, non est Deo infensus & exosus. Minor huius postremi syllogismi probatur sententia Apost. ad Ro. c. 5. *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filij eius, multò magis* &c. item 2. Cor. 5. *Omnia aũt ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum.* Præterea ad Coloss. loco suprà allegato. Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc aũt reconciliauit, &c. Per quæ testimonia liquidò constat, secundũ partem minoris probandæ esse verã. Sed eius non obstante clara & perspicua confirmatione, omnibus in S. Scriptura obuia, dicent Hæretici, sicut ex illorũ intima officina videtur respondendũ, iustificatos esse Deo reconciliatos, sed hanc reconciliationem fieri per Christum: non autem sic intelligẽda, quod Christus auersas voluntates Dei & hominis, iterum cõiunxerit & reuniuerit, vt meritò sic intelligere deberent; sed tali modo, nempè quod solus Christus Dominus sit Deo acceptus, eidemq; gratus, & amicus: homines aũt Christo incorporatos, manere sẽper, sicut fœtidos ac abominabiles coram diuino conspectu, pariter secundũ se Deo infensos & exosos: sed tamen propter Christi iustitiam apprehensam ab ipsis per fidem, ob eiusdem

Cap. 28.

Chri-

Christi intuitum, Deum non imputare hominibus voluntatem illorum à se auersam, ac peccata præterita, & quæ indies committuntur, eorundemque reatum pœnæ absoluere, & illos ad vitam æternam addicere, atque hac de causa iustificatos vocari reconciliatos Deo.

Itaque secundum hanc interpretationem recõciliatio hominis cum Deo, consistit in prædicta non imputatione, ac reatus pœnæ absolutione, æternæque vitæ addictione. Sed hæc interpretatio non bene concordat cum sacro textu, eo quod reconciliatio hominis cum Deo, hoc modo declarata, non est propriè recõciliatio, sed est effectus recõciliationis, seu amicitiæ Dei & Christi. Sacræ aũt literę (vt ex modo loquendi apparet) designant propriã recõciliationẽ hominis cum Deo factã per Christũ, i. quod sit restaurata antiqua amicitia hominis cũ Deo, interrupta à protoparente per peccatum, quæ expressa est mens Pauli in autoritate ad Coloss. allegata. Inquit enim, quod ante incorporationẽ cum Christo, eramus inimici Deo & alieni ab ipso, id est, remoti per voluntatis affectum. Cùm igitur ait Apostolus, quod simus reconciliati Deo per Christum, mens illius est exprimere, quod simus facti iterum amici Dei, & affectu voluntatis eidem approximati, procurante tamen Christo istam nobis amicitiam, & voluntatis coniunctionem cum Deo. Deprehenditur quoque intentio Apostoli ex præcedentibus verbis allatæ autoritatis ad Coloss. cap. 1. Ait enim: *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Illi qui in cœlis, ac in terris sunt, non censentur ab Apostolo formaliter pacati, mediante pace & tranquillitate, quæ est in Christo, sed potius inhærẽte pace vnicuique illorum, cõmunicata ipsis à Deo per intercessionẽ Christi, quod est luce meridiana clarius. Ergo dum in eodem loco dicat Apostolus, per Christum nos Deo esse reconciliatos intendit, quod sit nobis per Christum restituta amicitia & beneuolentia; illa scilicet, qua formaliter primus parens Deo amicus erat. Quod idem alijs verbis ad Rom. cap. 5. declarat.

Sed

Sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Ecce nos accipimus reconciliationem, id est, antiquam amicitiam, sed per Christum, qui procurauit, vt Deus illam nobis restitueret. Hoc idem ratione Theologica eleganti demonstratur. Cùm enim charitas, quę virtus Theologica est, Deum pro obiecto habeat sub ratione vltimi hominis finis: (vltimus autem finis est, qui propter se amari debet, & cætera omnia propter ipsum) impossibile est, aliquem habere charitatem, quin Deum omnibus alijs rebus in sua voluntate præferat & anteponat: (sicut penitus impossibile est, quod auditus audiat, nisi sonum, qui est obiectum auditus: Quod etiam ex charitatis laudibus & encomijs ab Apostolo 1. Corinth. 13. colligitur. *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. Vniuersa hæc facit homo charitate præditus propter Deum. Colligitur euidenter impossibile omninò esse, aliquem habere charitatem sibi inhærentem, & non esse Deo amicum, inhærente sibi amicitia, id est, cordiali affectu & amore erga Deum. Si autem his addatur, quod iustificati per sanguinem Christi, habeant in seipsis charitatem, secundùm illud ad Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Sequitur manifestè quod iustificati prædicti, sint Deo reconciliati mediante amicitia & bona voluntate erga Deum sibi inhærente per Mediatorem Christum: neque oppositum est verisimile. Quis enim credere potest, quod Christus esset perfectissimè amore & dilectione Deo vnitus, vidisset que homines à Deo separatos, atque animo alienatos, quos rursum ad Deũ conuertere, & in pristinam amicitiam restituere potuisset, sufficientissimumque pretium ad reparandam hanc amici-

tiam

tiam expoſuiſſet, & tamen de facto reparare noluiſſet? Sed benè video, promptam veritatis hoſtium tergiuerſationem. Reſpondentes enim non negabunt, Chriſtum Dominum potuiſſe per ſuam paſſionem & mortem, naturam humanam, ad antiquam amicitiam; priſtinumque ſtatum, à quo ceciderat Adam reducere; dicent tamen Chriſtum noluiſſe, vt in hac vita prædicta naturæ humanæ reparatio fieret, ſed in ſequenti; tunc ſcilicet, cum prius homo ad beatam vitam euectus erit. Verùm hanc ſolutionem nullius eſſe momenti, nec minimā habere apparentiam liquet: tum quia plurimæ autoritates citatæ, & aliæ quibus lubens ſuperſedeo, reparationem humanæ naturæ per Chriſti interceſſionem in hac vita eſſe factam, adeò perſpicuè & euidenter indicant, atque comprobant, vt nullum patiantur ſubterfugium; quales ſunt illæ, in quibus mundati, loti, abſterſi, immaculati, purgati, redempti, reſuſcitati, regenerati, viuificati, conuificati, reconciliati per Chriſtū Mediatorem dicimur: tum etiam quia dato, quod nullibi idipſum in ſacris literis inueniretur expreſſum, procul dubio omnia loca, quæ indefinitè in hac materia loquerentur, nō minus pro nobis facerent, quam ſi in terminis proprijs (vt dicūt) reparationem humanæ naturæ factam in hac vita deſignarēt, quod inter alia plurima, quæ in cōfirmationem huius rei adducere poſſem (quæ ob vitandā prolixitatē intermitto) Chriſti Domini acta manifeſtè probant. Nam certo certius eſt Chriſti Redemptoris noſtri, dum in hoc mundo fuit conuerſatus, hanc ſingularem fuiſſe curam & ſolicitudinem, vt deprauatas hominum actiones & corruptos mores reformaret ac reſtauraret: & (vt paucis dicam) hoc vnicum Chriſti ſtudiū, eoque vniuerſos conatus direxit, vt ad verùm ſpiritualis vitæ tramitem, humanum genus auerſum à Deo per peccatum reduceret ac reuocaret. Hoc verò negare nemo, vt puto, audebit, dum tot tamque crebris & feruentibus admonitionibus, perſuaſionibus, exemplis, ſimilitudinibus, parabolis, promiſſionibus, comminationibus ab ipſomet Saluatore, & poſt eius

Ascensum ab Apostolis nomine eiusdem factis, quibus noui testamentum vndique refertum est, manifestissimè constet. Cum autem spiritualis reparatio morumque reformatio ex conuersione voluntatis humanæ ad Deum tanquam vltimū finem, id est, præ omnibus alijs rebus dilectum, vnicè dependeat (solus enim amor Dei, est temon humanæ vitæ, à quo cęterorum humanorū actuum directio & moderatio procedit, vt in primis articulis declaratum est) hoc verò Christum Redemptorem nostrum minimè latebat. Deducitur perspicuè Christū Dominum voluisse sibi incorporatos in hac vita esse conuersos per affectū voluntatis ad Deum, vt vltimum finē. Si verò iam addatur tanquam indubitatum (vt suo loco cōtra proteruos ostendemus) prædictam conuersionē voluntatis in Deum, esse rectitudinem siue iustitiam, quam peccando Adā amiserat. Insuper quod anima ad Deum conuersa nullum habeat peccatum, nec reatum vitæ æternæ (implicat enim contradictionē, quod quispiam Deum præ omnibus rebus diligat, & habeat peccatum, vitæque æternę reatum, vt abundè ostendimus in primis articulis) Colligitur tandē expressè, quod intendimus, nimirum Christum Redemptorem voluisse, vt restituerētur dona in hac vita sibi incorporatis, quæ amiserat peccando primus parens: & per consequens aduersariorum solutio nihil valet.

Dices verò neminem in hoc seculo adeò morigerū, & sedatum reperiri, qui à prauis affectibus, ac inordinatis motibus omninò liber ac immunis existat, nullūque quantumuis præcautum, & constantissimi animi in virtute hactenus inuentū fuisse adeò fortē ac robustum, vt cunctas exorbitantes concupiscētias insurgentes reprimere & cohibere valuerit. Subiunges quoq; viros sanctos eosq; deuotissimos, qui singulari diligētia ac solicitudine puritati vitæ student, manifestā in seipsis rebellionē & inobedientiā sentire, necnon quandā in bene operando pugnā ac difficultatem, atq; passim retardationē experiri. Quapropter plurimi illorum, humanā miseriā calamitatem

tatem

tatemque deplorantes, de humana fragilitate & imbecillitate conquesti sunt. Apost. enim ad Rom. sic loquitur. *Non enim quod volo bonum, hoc ego, sed quod odi malum, illud facio.* Itē. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio.* Et quoque eodem in loco ait. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et infra. *Ego ipse mente seruio lege Dei, carne autem legi peccati.* Et ad Gal. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem.* Quibus Sapientis consonat dictum. *Corpus quod corrūpitur aggrauat animam.* Ex quibus autoritatibus, & notissima experientia, deducitur hominem iustificatū, in hac vita, non esse restitutū ad statum, quem primus parens peccando amiserat, cuius oppositū nos tanquam basim & fundamentum nostrę sententiæ stabiliendæ astruere nitimur. Huic obiectioni difficile haud est respondere: statuēdum enim, ac tanquàm primum principiū Religionis Christianæ certò certius habendum, inter Canonicos Scriptores nullā esse pugnam, neq; inter illorum dicta minimam oppositionē reperiri; quandoquidē ab eodē Spiritu veritatis ipsorū eloquia emanata suscipiūtur. Cum ergò ex innumeris locis, partim allegatis, & infra allegādis luculentissimè constet, naturā humanā per Christum intercessorem à Deo reparatam fuisse ad statū, à quo ceciderat protoparens, quod absq; stultitiæ nota Aduersarij nostri absolutè negare nullatenus audebunt; luce meridiana clarius colligitur, argumentū modo cōtra nos positū non cōcludere naturā humanā absolutè in hac vita non esse reparatā, sed solū probare, eā non perfectissimè atq; omnimodè restitutā & reintegratā esse, ad florentissimū felicissimūq; statū, in quo Adam ante, quā diuinā legem trāsgrederetur, constitutus fuit, quod nos Catholici libentissimè nedū cōcedimus, verū vt dogma fidei Catholicæ suscipiendū firmiterq; tenendū prædicamus Sed quia non omnib. obuiū est, & palā se offert, quo pacto vna & eadē natura humana spiritualiter per peccatū mortua possit partim esse reparata, & par-

Cap. 7.

Eodem c.

Cap. 5.

Cap. 5.

& partim depressa atque collapsa manere, & ex puncti huius manifestatione, placida & suauis locorum hinc inde ab vtraq; parte allegatorum concordia, veritatisque fidei cum quotidiana experientia, consonantia pendeat: operæ pretium duxi prædictum punctum patefacere, & pro viribus enucleare.

Aduertendum itaque est ante omnia, quod si humana natura labefactata & corrupta per peccatum, esset simplex, puta purè intellectualis, qualis est Angelus, impossibile omninò esset, ad tramitē vitæ spiritualis eam reducere & reparare, quin plenè reintegraretur ad perfectissimum statum, à quo ceciderat. Nam in casu, quo Deus vtens potentia sua, illam reducere voluisset, necessariò deberet eius voluntatem & affectum à Deo auersum, denuò conuertere ad ipsum amandum; scilicet tali amore & dilectione, vt decet vltimum finem; nempè vt præ omnibus alijs rebus diligendum: conuersa autem prædicta natura, modo dicto in Deum esset fortis, & potens sine vllo impedimento, ad omnia propter Deum diligēda, in ipsumque referenda; & per consequens esset omnimodè ad ordinē collapsum redintegrata: Vnde colligitur; quod si humana natura esset simplex; vel Deus deberet illam omninò reparare; vel penitus spiritualiter mortuam relinquere. Sed quia ex duabus portionibus complexa est, nempè intellectiua & sensitiua, non est difficile inuenire vnam & eandem naturam humanam penitus collapsam, partim à Deo erectam & eleuatā, partim depressam ac languidam permanentem.

Pro cuius rei explicatione primò notandum est, iuxta duas partiales naturas, quæ sunt in homine, duos in eodem esse appetitus; quorum vnus naturā intellectualem sequitur, voluntasque proprio nomine appellatur, cuius obiectum est bonū propositum per intellectum: Alter qui naturam sensitiuam comitatur, qui appetitus sensitiuus dicitur, cuius obiectum est bonum propositum per sensum. Horum autem appetituum, voluntas est nobilior, eò quod principaliorem hominis portionem, nempè intellectiuam concomitatur.

Præ-

Præterea secundò aduertendum venit, debitum ordinem à summo omniũ directore & gubernatore rebus creatis præscriptum in eo esse positum, vt quodlibet inferius iuxta propriæ naturæ modum & conditionem (illud scilicet quod libertate pollet liberè agendo, expers vero libertatis ex necessitate naturæ operando) suo superiori subijciatur. Ex quibus dictis, duas naturæ humanæ extremas dispositiones cernere licet. Vna in eo sita est, vt appetitus sensitiuus voluntati plenariè subijciatur, adeò vt nullum bonum sensibile prorsus appetat, nisi quod appetendum placeat voluntati. Altera præcedenti è diametro opposita, in eo constituta est, vt voluntas trahatur ab appetitu sensitiuo, eique succumbat, bonum scilicet sensibile, quod appetitus sensitiuus appetit, amplectendo. Harum duarum dispositionum, prima est perfecta & consentanea, omnibusque numeris absoluta. Nihil enim felicius, pro institutione humanæ vitæ desiderari potest, quam quod homo per voluntatis amorem adhæreat bono sibi proposito ab intellectu, & nulli bono terreno & sensibili sensitiuus illi appetitus afficiatur, quam quod recta ratio, vel propter naturæ sustentationem, vel alias huius vitæ necessitates appetendum dictat. Altera autem designata dispositio humanæ naturæ est dissentanea, & peruersa. Est enim contra ordinem à Deo præfixum rebus libertate pollentibus, vt voluntas quæ excellentior est, ac pro inuisibilibus & superioribus rebus amandis, & prosequendis à suo autore creata, appetitui sensitiuo morẽ gerat, eiusdemque inordinatis motibus consentiat.

Inter prædictas duas extremas dispositiones naturæ humanæ possibile est quandam mediam inuenire, sed non talem, qualis in promptu ac prima facie se offert, nimirum, quod vnusquisque ex dictis appetitibus absq; vlla inuicẽ subiectione in proprium obiectum feratur: appetitus scilicet sensualis in bonum sensibile, & voluntas in bonum spirituale; talis enim naturæ humanæ dispositio est impossibilis; & ratio est, quia cum prædicti duo appetitus, non sint æquales inter sese, quan-

doquidem voluntas naturali iure est superior sensitiuo appetitu, fieri haud potest, vt voluntas bono spirituali adhæreat, eidemq; insistat, quin possit continere & cõfrenare, prout in plurimũ sensualem appetitum. Item neq; hæc media naturæ humanæ dispositio, potest sumi ex parte solius voluntatis, id est, quod voluntas partim adhæreat rebus sensibilibus, eisdẽque insistat; partim verò bono sibi consentaneo; hoc enim repugnantiã inuoluit; nam cum bonum cui per se voluntas adhærere debet, sit consummatum, & plenum bonum, plenitudo verò bonitatis in Deo duntaxat inuenitur: impossibile autem penitus sit, Deũ & bona creata simul regnare in humana voluntate, vt ex dictis in primis articulis patet. Colligitur tãdem, quod non sit possibile voluntatẽ partim adhærere & insistere rebus sensibilib⁹, & partim Deo; & per cõseques, præfata media naturæ humanæ dispositio est impossibilis. Potest autẽ aliqualis media naturæ humanæ dispositio, inter prædictas extremas duas reperiri, ex parte tamen appetitus sensitiui; nimirũ quod volũtate adherente bono sibi debito, in eodemq; manente stabili & constanti, appetitus sensitiuus, partim sub voluntate contineatur, & partim exorbitet, nẽpe vt voluntas firmiter proponens prædictum sensualem appetitũ omninò ab inordinatis motibus coercere, pro viribus laboret, vt nulli ex sibi præsentatis per sensum bonis præfatus sensualis appetitus afficiatur, sufficiensq; sit voluntas quout in plurimũ suũ votum executioni mandare, & in effectũ deducere, tamẽ non sit adeò fortis, vt in omnibus euẽtibus indiscriminatim id præstare valeat, quin aliquando præfat⁹ sensualis appetitus se subducat, ordinẽque rationis excedat. Et hæc est media possibilis quædã dispositio naturæ humanæ, secundum quã prædicta natura ordinatur ac disponitur, perfectè scilicet, quantũ ad præcipuam eius partem, nempe intellectiuã seu mentalẽ; sed non plenè, quantum ad appetitum sensualem seu carnalẽ.

Ex quibus iam dictis manifestè & absq; negotio deducitur non esse impossibile vnã & eandem naturã humanam prius

propter

propter peccatum ſpiritualiter penitus extinctam, partim reparatam eſſe,& partim collapſam manere, nempe, vt quæ antea vtriuſque appetitus debito ordine erat deſtituta, reparata ſit à Deo, quantũ ad appetitum intellectualẽ, lãguida verò ac debili perſiſtente, quantũ ad appetitum ſenſualẽ. Et quia nos Catholici ſic de facto ponimus, reparatam fuiſſe naturã humanam mortuam per peccatum Adæ ad vitam ſpiritualẽ à Deo per Chriſtũ Mediatorẽ, Ecce quod vtriuſq; partis pro & contra allegatę autoritates, manentibus tamen illis in ſuo robore, iuxta planũ ſ. ac propriũ verborum ſenſum reducũtur ad piã facilem & ſuauẽ concordiam, & inde obiectio nobis oppoſita ſoluta reſtat. Non. n. Catholici prætendimus naturã humanã plenè eſſe reſtitutã & reintegratam in hac vita ad illum feliciſſimũ ſtatum Adæ ante peccatum; hoc. n. obtinebit homo, quando Deũ videbit. Neq; enim aſſerimus naturã hominis iuſtificati, quantũ ad vtrumq; appetitum inordinatum perſeuerare, vt hæretici tenent. Sed inter prædicta duo extrema noſtra ſententia ab vtroq; declinans, viã tenet mediam, quæ ſolet eſſe in dubijs ſecurior. Dicimus. n. hominem beneficio Chriſti, quantũ ad mentem eſſe reparatũ à Deo in hac vita, taliter, vt ſufficiens ſit Deũ præ omnibus alijs rebus amare, eidemque ſolum affici & ſtudere; adeò vt dum viuit iugiter ipſe Deus ſolus in humano appetitu regnet ac præualeat. Addimus quoq; hominẽ iuſtificatũ poſſe proponere in ſua mẽte ac firmiter ſtatuere omnes motus appetitus ſenſitiui erga obiectum malum, v. g. venerea, vindictam, gulam, &c. ſemper vitare. Inſuper dicimus hominem iuſtificatum pro maiori parte, maximè ſi præcautus ſit, poſſe de facto quout in plurimum oblatis occaſionibus compeſcere appetitũ ſenſitiuũ ab inordinatis motibus. Cum hoc tamen miſerum ac flebilem humanæ naturæ ſtatum, poſt Adæ lapſum in huius vitæ curriculo agnoſcimus, confitentes hominẽ iuſtificatum, quantumuis ſanctitate polleat, & circumſpectè attendat, (dempto miraculo) non poſſe omnia quæ animo propoſuit, opere explere,

explere, executionique mandare, vniuersos scilicet motus appetitus sensitiui reprimere & cohibere. Et licet renitente & contradicente voluntate in particulari casu oblato, appetitus sensitiuus nullo modo in actū possit prodire, nec irrumpere; tamen quia ad talem contradictionem opus est, vt mens vigilet, & aduertat, tot vero sint bona sensibilia præsentia, quæ sēsibus se obijciunt, totque præterita quæ memoriam vexare non cessant, vt non possit homo esse adeò vigil, quo omnes inordinatos sensualitatis motus indiscriminatim coercere & reprimere valeat ac sufficiat; nam vno represso statim insurgit alius, & postea alius in eadem vel diuersa materia, vt experientia quotidiana non sine dispendio nostro docet. Vnde sequitur, quod impossibile sit, quin homo sanctus (remoto miraculo) in hac vita cadat & peccet; sed quia prædictū peccatum, est actus appetitus sensitiui non consentiente voluntate: sine consensu autem voluntatis perfecta peccati ratio, quod nos Catholici peccatum mortale vocamus, non inuenitur. Colligitur tandem, quod homini iustificato in tantum sint restitutæ vires, vt potens sit omnia peccata mortalia vitare, illa scilicet, per quæ constituitur finis vltimus in creatura, non autem omnia venialia, saltem illa, quæ rationis vsū præueniunt: & hæc est vera & indubitata sententia, quam Catholica Ecclesia tenet, & sancta Synodus Tridētina definiuit. Neque Beatus Paulus quicquam in oppositum in loco nobis obiecto ad Rom. ait, imo potius totus est, pro veritate declarata, si rectè ad amussim expendatur. Duas enim leges ex ipsis dictis, inuicemque in homine iustificante pugnantes reperiri clarè habemus. Vna quæ virtutis viam docet, & secundum illam ambulare præcipit. Altera verò quæ ad peccandum hominem instigat & mouet. Illa ab eodē Apostolo, lex Dei; hæc autē, lex peccati nūcupatur, ex eo scilicet: vel quia per peccatū primi parētis est introducta; aut lex peccati vocatur, denominatione accepta ab actu, in quem prædicta lex inclinat, quod est peccatum. His verò prædictis duabus legibus, licet opposi-

opposita præcipientibus, se obedire & seruire idemmet Apostolus fatetur. Cum autem sit penitus impossibile, per vnum duntaxat appetitum contrariis legibus, vnum eundemq; hominem parere: restat necessariò dicendum, quod Apostolus, vel quiuis alius iustificatus, secundum vnum appetitum, seruiat legi Dei, & secundum alterum, legi peccati. Si his tamen adiungamus, tanquam notissimum, neminem absq; voluntate Deo seruire posse, quandoquidem Deum, ipsiusque mandata, sensus apprehendere non valet, sed solus intellectus, cui⁹ comes est voluntas: Deducitur manifestè, quod Apostolus voluntate legi diuinæ se conformabat, & per consequens appetitu sensuali obediebat legi peccati. Quod & ipse satis dilucidè in vltimis verbis eiusdem capitis declarat, dū concludit. *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quid verò in proposito sibi vult Mens, nisi appetitus mentalis seu intellectualis, quem voluntatem appellamus; & per consequens, quid sibi vult Caro, nisi appetitus carnalis vel sensitiuus?

Ex quibus iam declaratis intelliguntur cætera, quæ ibidem Apostolus scribit: nam in eo, quod dicit: *Quod odi malum, illud facio*, clarè patet, quid intendat. Cum enim legi Dei voluntate se conformabat, insistebat non solum affectu, verum etiam opere & effectu Deo in omnibus placere, vnde firmiter statuebat, ne in minimo lineam mandatorum diuinorum transilire, & inde habebat in animum inductum, sensualem appetitum toto vitæ decursu ab inordinatis motibus cohibere, cum autem occasione oblata opera carnis se præsentabant, voluntate illis non consentiebat, diligenterque ac strenuè pugnabat contra appetitum sensitiuum, vt illum impediret, ne bonis sensibilib⁹ sibi per sensum oblatis afficeretur, cuius pugnæ multoties victoriam reportabat, sed propter frequentiam bonorum sensibilium oblatorum præsentium, & memoratorum vitæ humanæ ab exordio natiuitatis consuetorum, ac familiarium, aliquando prædictus sensualis appe-

titus exorbitabat, vnde sanctus vir conquerebatur, dicens: *Quod odi malũ, illud facio.* id est quod appetitu intellectuali detestor, hoc ago: Quod non est intelligendum de actione quæ est executio operis, certum enim est, quod Apostolus nunquam perpetrauit vindictam, nec venerea tentauit, &c. Sed intelligitur de actione appetitus sensitiui. Similiter quia, multa bona proponebat facere Paulus, v. g. ieiunare, orare, &c. ad quorum oppositum sensualitas afficiebatur, puta comedere, quiescere &c. proinde dicebat. *Non enim quod volo bonum, hoc ago,* quia scilicet appetitus sensitiuus renitebatur, & operis executionem retardabat. Hinc quoq; est, quod ait. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Nam ad perfectionẽ operis, quod volũtas Apostoli ingiter, & fine intermissione operari cupiebat, appetitus sensualis affectus oppositis actibus retrahebat ac impedire conabatur. Ex quibus omnibus iã patet ex dictis Pauli nihil aliud haberi, nisi quod homo iustificatus in hac vita sit reparatus, quantum ad appetitum spiritualem seu voluntatẽ, non autem quantum ad sensualem, seu carnalem appetitũ. Neque inuenio in ca. 7. allegato (vt obiter dicam, verumque fatear) quod totum nobis oppositum hæretici arbitrantur quicquam contra nos vllam apparentiam habere, nisi quod ibidem designatur, nempe peccatum permanenter quasi in regeneratis habitare. Sed S. S. Doctores, & post illos cõcilium Tridentinũ, piè ac iuxta textum exposuerunt, quod nomine peccati intelligat Paulus fomitem peccati seu concupiscentiam effrenem, quam aliquando legem peccati, aliquando legem membrorum, aliquando peccatũ appellat, vel prædicta concupiscentia est effectus peccati Adæ, vel quia est causa peccati.

Ad Rom.

Quod si inquiras, quare appetitus carnalis in homine iustificato non sit omninò in hac vita reparatus, tibi assignabo pro complemento huius rei pias aliquot rationes, inter quas hanc primam accipe: nempe quia ex Dei ordinatione homo aliqua pœna affligitur in hac vita, propter peccatum originale, quæ

ſe, quę eſt quaſi cicatrix à vulnere derelicta, & redit ipſi homini iuſtificato in memoriam, vt caueat de cætero à peccato, ſeque humiliet. Secunda eſt, nempè propter exercitium virtutum, quod oritur ex mutua pugna ſenſualitatis cum voluntate; ſed huic cauſæ nos Catholici addimus complementum dicentes, quod excitatæ pugnæ inter duos appetitus, victoria reportata à voluntate cedit ad maius meritum hominis. Tertia eſt, vt homo ſuum auxiliatorem Chriſtum iugiter recognoſcat, ac reuereatur; nam videns ſe in hac vita ſpiritualiter oppreſſum, ad Chriſtum compellitur recurrere, ab ipſoque iuuamen & auxilium implorare, eiuſque Sacramenta, præſertim illud, quod eſt ſpecialis contra effrenem concupiſcentiam medicina, quod nos Catholici Sacramentum altaris vocamus frequentare; in quo ſingulariter Paſſio & mors Chriſti vniuerſale beneficium generis humani recolitur. Quartò, vt homo quoque in opere ſuæ reparationis laboret, non enim eſt conſentaneum, vt omnia amici Chriſti humeris imponantur, quatenus nobis otioſis manentibus, Chriſtus immediatè totum opus noſtræ reparationis perficiat, eſt enim conſonum, vt membra Chriſti ſuo capiti ſe cõforment, & qui à Chriſto immediatè recuperauimus vires, laboremus quoque & ſatagemus exercendo nos crebrò in operibus virtutis ad ſupprimendam & in ſeruitutem redigendam noſtram ſenſualitatem. Præterea hanc accipe non minimam cauſam, videlicet, vt fides in Chriſtum Redemptorem habeat locum, nam ſi Chriſto inſiti omninò reſurgerent floridi in hac vita, ſicut Adam in ſtatu innocentiæ fuit, adeò vt minimum carnis defectum non ſentirent, pateret hoc euidenter omnibus, & ſic locum fides in Chriſtum non haberet, dum humana ratio comprobaret ſub Chriſti vexillo militantes, alterius quaſi naturæ potius angelicæ eſſe quam humanæ. Prædictas igitur, quæ iam occurrunt aſſignamus cauſas, quare in hac mortali vita, quaſi ex conuentione Chriſti Redemptoris noſtri cum Deo, appetitus

 carnalis

carnalis naturæ humanę non sit restitutus ad pristinum innocentiæ primi parentis statum, quæ sufficiunt pro modesto ac disciplinato ingenio tuarum rationum: si nulla Aduersarijs arrideat, vnam illis offero, qua eis sine dubio satisfiet, nimirum illam, quam ab ipsis petij supra, dum quærerem, quare cum Christus potuisset reparare in hac vita genus humanum ad statum, à quo deciderat Adam, nullo modo reparauit; sed potius (vt ipsi dicere debent) distulit vsque ad sequentem vitam, illam igitur, quam assignauerint, applicet nomine meo, temperatam tamen ad appetitum carnalem solum pro dilatione ipsius plenæ reparationis. Stat ergo firmissima & solidissima veritas, nimirum restitutam esse homini iustificato amicitiam & bonum affectum erga Deum; sicut pariter alia Spiritus S. dona, quæ Adam peccando & totum genus humanum cum illo amisit, aduersus quam nunquam poterunt hęretici, quantumuis moliantur.

Sed vnum quod me in admirationem rapit, & istorũ peruersissimorum hominum, non dico caliginem & cæcitatem, sed potius dementiam vel impudentiam pandit, iam præterire non possum, nimirum quod putent illorum sententiam in articulo de Iustificatione plurimum sanguini Christi deferre, eiusdemque valorem amplificare, & in hoc summoperè gloriantur, atque complosis quasi manibus applaudunt: nostram verò eiusdem pretiosissimi sanguinis valorem deprimere & euertere blaterant. Quam ob causam illorum Dux Caluinus excandescit, & furibundus contra nos insultat, zeloque diabolico crepans, stentoria voce exclamat: *O proiectã impietatis impudentiam! quis expectasset, vt Christi nomen professi, illum ità denudatum sua virtute, tantum non proculcare auderent?* Querelam instituit contra Catholicos, eo quod dicamus iustificatos per primam gratiam & iustitiam, quam nobis meruit Christus, posse per bona opera, vitam æternã mereri. Verũ ô impudentissimè & versipellis Caluine, militantis Ecclesiæ flagellum! quot mortalium, & inter alios, tum præ-

Li. 3. Instit. cap. 15. §. 6.

clara or-

clara orbis ingenia (proh dolor) execranda tua doctrina, variis technis obducta, mellitis verbis & exclamationibus, oratoriis flosculis fucatoque veritatis zelo circumuallata pertraxeris, & quousque oculos indignationis diuina Maiestas auertere potuerit, pertrahes, oculatus in inferno testis es & eris. Attamen optimè ex tuis ipsis scriptis deprehenditur, eisdemque conuinceris, te Catholicam veritatem, quam nequiter & ex mera hypocrisi, quasi deploras, non latuisse: dum (vt missa alia faciam) disputans contra Osiandrum, & cuidam eius argumento respondens ais. *Neque enim negamus, quin reformet nos Spiritu suo in vitæ sanctitatem & iustitiam, sed primò videndum est, faciatne hoc per se & immediatè, an verò per manus Filij sui, penes quē omnē Spiritus S. plenitudinem deposuit, vt sua abundantia membrorum inopiæ subueniret.* Cum autem comprobatissimum Caluino fuerit, primum parentem non fuisse formatum à Deo in vitæ iustitiam & rectitudinem, vt aliena iustitia & rectitudine spiritualiter viueret, sed sibi inhærente & propria; reformatio autem, formationi correspondere debeat, (vt est manifestissimum) non est dubium, nihil quoque notius Caluino fuisse, quam reformatos in vitæ iustitiam per sanguinem Christi, nō esse formaliter iustos & rectos iustitia Christi, sed propria & ipsis inherente, eisdem communicata à Deo per Christum, eamq; tamen Caluino manifestissimam veritatem, singulari industria, & diabolico spiritu ductus, toties impugnat. Li. 3. Instit. c. 11. §. 12.

32 Sed agedum videamus istorum calumnias, & vtrum nos plus sanguini Christi tribuamus, an verò isti hypocritici Nouatores expendamus: Illorum enim sententia est, quod sanguine Christi redempti maneant peccatores fœtidi, sordibus ac maculis scateant, ac inde auerso corde ab ipso Deo, ac infensi ipsique exosi; præterea quod nihil boni, oculisque diuinæ Maiestatis acceptum præstare possint, hoc solum Christo asscribunt; videlicet, quod tegat nostras sordes & nequitias, id est, quod sit Mediator inter Deum & nos, vt (non ob-

 stantibus

ſtantibus noſtris peccatis antiquis,& quę indies committimus) abſoluat nos à reatu pœnæ pro peccatis debitæ, & ad vitam æternam deſtinet: Ecce hæreticorum ſententiam, ſed dignã ſuis autoribus. Sententia verò Papiſtarum (quos ipſi vocant) eſt, Chriſto inſertos & incorporatos, ipſius paſſionis ac mortis virtute, obtinere à Deo bonum cordis affectum erga ipſũ, gratos & acceptos eſſe Deo, & in priſtinam Dei amicitiam à primo parente per peccatum interruptam, reſtitutos, & toties quoties per nouum peccatum interrumpitur, eiuſdem Chriſti beneficio reparari, virtuteque eius reparatos in opera Deo accepta & grata prorumpere poſſe, quibus in via Dei gradiamur, & ſic iuxta operũ qualitatem, maiorẽ æternæ gloriæ gradum nobis pręparemus. In ſumma dicimus reſtitutos eſſe mediantibus operibus iuſtitiæ, quæ Chriſtus nobis à Deo miſericorditer miſſus patrauit, in priſtinum florem vitæ ſpiritualis, in quo Adam mera Dei liberalitate fuit formatus, dempto tamen appetitu carnali, qui propter cauſas quaſi labefactatus vt ſupra declarauimus, manet. Intuere ergò lector & conſidera, ſedatoque animo perpende; an Hæretici ſanguinẽ Chriſti ſua virtute & efficacia expolient, quod nobis falsè imputant, & tã dolẽter (ſcilicet) deplorant; an nos Catholici eius valorẽ amplificemus, & ab ipſis violenter proculcatum eleuemus.

Iam ad probandum noſtrum propoſitum, vnde digreſſi ſumus, nimirum reſtitutam fuiſſe iuſtificatis amicitiam Dei inhærentem, ac beneuolentiam bonumque affectum erga eundem interruptam per peccatum Adę, produco locũ Pauli efficaciſſimũ fuiſſe, qui ſic ait ad Rom. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Attendant argumentum Pauli, quo probat à maiori ad minus, quod Deus donauerit nobis omnia cum Chriſto: vel enim non benè infert generalem concluſionem: vel nobis licet inferre in particulari ſic, Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, ergò cum ipſo reſtituit nobis amicitiam Dei inhærentẽ,

Cap. 8.

bonum-

bonumque affectum, pariter iustitiam inhærentem, similiter aptitudinem ad merendum, & sic de reliquis.

Concludamus igitur, Catholicā veritatē, nempe quod nō solū Christus est Deo acceptus, eideq; gratus & amicus inhærente amicitia & beneuolentia, vt hæretici somniant: verum etiā quod militiæ Christi asscripti sint formaliter sancti, iusti, mundi, &c. inhærente ipsis sanctitate, iustitia, munditia; ita (vt paucis verbis terminis Philosophicis exprimam) inter Christum & Christicolas, nulla est differentia in attributis, quæ de vtrisq; prædicantur, quantum ad causam formalē: omnia enim nomina prædictorum attributorum, sicut de Christo, sic & de alijs ipsi insertis prædicant formam inhærentem: de Christo autem cum plenitudine, de reliquis diminutè, vt supra dictum est. Quantum verò attinet ad causam effectiuam, conuenientia & differentia simul inter Christum & reliquos homines intercedit. Conueniunt enim in eo, quod Christus & cæteri homines iustificati recipiant à Deo gratiam, & reliqua Spirit⁹ S. dona, quibus anima in vita spirituali perficitur. Sed differūt, quia Christus immediatè accepit à Deo prædicta Spiritus S. charismata, cęteri homines participant illa mediatè, per Mediatorem scilicet Christum, quod est intelligendū post peccatum Adæ: secus autem fuit in Adam ante peccatū, & fuisset in toto genere humano, si absque peccato perstitisset. Hoc autē duplicis status humani ante scilicet & post peccatum, discrimē, ex eo peruenit, quia defectus, cui ante peccatum natura humana erat subiecta, fuit merè naturalis, nempe ex necessitate propriæ essentiæ humanæ, quæ complexa est ex sensibili & intelligibili portione, proueniens; ad quem defectum congruè supplendum, nullo mediatore indigebat natura præfata, sed vt Deus summa vtens liberalitate donis superadditis prædictæ naturæ, generalem illius defectum suppleret; in reformatione verò, & naturæ collapsæ renouatione, defectus, cui humana natura est obnoxia, moralis est, nempe peccatum ad minus vnum in vnoquoque, quod

quit-

Digitized by Google

quisque trahit per originem à primo parente; vnde & cogn[illegible] modo repararetur, & renouaretur, indiguit intercessore & Mediatore, Verbo scilicet Dei incarnato, & hæc de secunda parte minoris secundi argumenti, in confirmationem nostræ conclusionis allati, dicta sufficiant. Iam ad corroborandam eandem conclusionem pergamus.

Tertium argumentum erit fundatum in authoritatibus Sacri codicis, quæ quia effata Dei sunt, maiorem ad conuincendos Aduersarios, etiam pertinacissimos vim & efficaciam adferunt; sed cum huiusmodi loca innumera ferè à nobis produci possint, ea duntaxat, quæ propius ad conclusionẽ probandam accedunt subiungemus. Verum vt commodius procedamus, in duas generales classes ea distinguemus. Primò proponemus illas autoritates, quæ intra terminos generales continentur; nimirũ quæ declarant, & exprimunt, quod propter opera bona detur hominibus vita æterna, vel quod opera bona iuuent, prosint, & sint causa consequendæ vitæ æternæ. Secũdò afferemus illas, quæ ad magis particularia descendunt, & contractioribus verbis veritatẽ manifestant: hæc aũt sunt illa loca, quæ compensationem bonorũ operum indicant, nempe: Mercedẽ, & Retributionem, & si quæ his conformia. Hanc verò bimembrem, locorum diuisionem facimus, vt commodius duo communia glossematum peruersorum genera Ioannis Caluini, quorum vnum, vni classi locorum, alterum alteri, ad suos errores propugnandos, applicat & adaptat, subuertere possimus; quibus reiectis & explosis, facilè apparebit, quantum pro nostra sententia, sacræ Scripturę autoritates faciant.

Primus igitur locus, quẽ expendamus sit, Matth. de quo supra in relatione meminimus, vbi sic legitur. *Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tum sedebit super sedem Maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis: & statuet quidem oues à dextris suis, hædos autem à sinistris.*

Cap. 25.

nistris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mūdi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere, &c. Et infra. *Tūc dicet & his, qui à sinistris erūnt. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim & nō dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi potum*, &c.

Ecce vbi manifestè ex ore Iesu Christi constat, dandum regnum cœlorum, propter bona opera misericordiæ. Nihilominus Caluinus hunc locum, & omnia consimilia parui pendit, ac nullatenus militare contra suam sententiam prætendit: ait enim in consimilibus sacræ Scripturæ locutionibus, magis ordinem consequentiæ, quam ordinem causæ indicare; & est quasi diceret, quod vbicunque in locis sacræ scripturę vita æterna dari propter opera designatur, non sit mens Spiritus Sācti exprimere, quod propter opera bona detur vita æterna, sed quia bona opera concomitantur illud, propter quod datur vita æterna (sequuntur enim esse adoptiuum filium Dei tanquam boni fructus ex bona arbore) proinde toties in sacro codice propter bona opera, vita æterna hominibus dari ingeminatur. Hæc est interpretatio generalis egregia, vt apparet, digna suo autore, qua omnibus primæ classis autoritatibus satisfactum absque vllo negotio Caluinus sibi persuasum habet.

Ex quibus iam dictis satis liquet, Caluinū repetitam toties in sacris literis necessitatem bonorum operū nobiscum admittere, quam multis alijs in locis suæ doctrinæ fatetur: dissentit tamen à nobis in assignando causam prædictæ necessitatis. Cum enim tribus modis excogitari possit, vitam ætenā à nostris operibus dependere. Vno modo, quantum ad fieri (vt dicunt) nempe vt is, qui necdum à Deo ordinatus est ad vitam æternam percipiendam, propter bona opera ordinetur ad illam consequendam. Secundo modo in conseruari, id est, vt ille qui à Deo ad vitam æternam est ordinatus, indi-

geat bonis operibus, vt conferuetur, ac manu teneatur à Deo in illo ſtatu. Tertio modo, quantum ad augmentum, id eſt, vt ille, qui à Deo deſtinatus eſt ad æternam gloriam, ordinetur propter bona opera, ad maiorem gloriæ gradum percipiendum. Caluinus contendit nullò modo ex his tribus, bona opera ad æternam vitam valere : ſed dimiſſo primo, in quo vix à nobis diſtat, quantum ad ſecundum & tertium modum, Chriſtianæ veritati nimis liberè ſe opponit. Duo enim in hac re Catholica veritas nos docet: Vnum eſt, hominem iuſtificatum indigere continuatione bonorum operum de præcepto, adeò vt in puncto, quo ille qui antea erat addictus ad vitam æternam, in vno præcepto deficiat, nedum cadat ab illo felici ſtatu, verum etiam deſtinetur ad perpetuas infernales pœnas, quas infallibiliter luet, niſi rurſum à Deo per Paſſionem & mortem Chriſti miſericorditer reparetur, quæ ſicuti applicatur homini irretito peccato originali, mediante quodam ſigno ſenſibili, quod Sacramentum Baptiſmi vocamus, pariter ei, qui cecidit iterum à ſtatu ſalutis, prædicta Paſſio, & mors Chriſti, per aliud ſenſibile ſignum, quod Sacramentum pœnitentiæ ſana Religio nominat, applicatur. Alterum Catholicæ fidei dogma eſt, quod homo iuſtificatus, quanto plura & excellentiora bona opera in hac vita patrauerit, tanto maiori gloria in ſequenti ſeculo perfruetur. Hæc ſunt duo dogmata Catholica, quæ vt antiqua in Eccleſia, ſic & (vt mihi videtur) ſatis clara & perceptibilia, non ſemel propalata in codice noſtræ ſalutis, atque lumini rationis conformia, quæ abſque ambagibus & excogitatis commentis, nec errores erroribus addendo, tueri ac propugnari poſſunt.

Conſtat igitur ex dictis iam, differentia inter nos & Caluinum in aſſignanda cauſa neceſſitatis bonorum operum: nos enim aſſignamus illam ex parte finis vltimi humanæ vitæ, quam vitam ſeu felicitatem æternam dicimus. Caluinus ve-

nus verò nullo modo dicere poteſt, quod prædicta bonorum operum neceſſitas proueniat ex parte vitæ æternæ; tum quia bona opera iuxta eius doctrinam non ſeruiunt ad vitam æternam conſequendam; tum etiam ſecundum ipſum, ſola iuſtitia & innocentia Chriſti vnicum eſt ornamentum, quo ante oculos diuinæ Maieſtatis comparere poſſumus, cætera verò omnia quantumuis bona quæ homo iuſtificatus facit, in conſpectu Dei fœtent, & (vt eiuſdem Caluini verbis vtar) *nihil poſſe, quam irritari Dei vltionem, niſi miſericordiæ indulgentia fulciantur.* Li.8. Inſtit. c.14.§.16. Quare Caluinus non potens ex parte cauſæ finalis aſſignare operum bonorum neceſſitatem, quæ eſt neceſſitas temperata (quam conditionatam Philoſophi vocant) ad neceſſitatem efficientem ſe tranſtulit, quæ eſt neceſſitas arcta, quam abſolutam nominant. Aſſignat enim illam Caluinus ex parte hominis iuſtificati, in quo patentiſſimè errauit: tum quia ſacræ literæ neceſſitatem bonorum operum, vt in citata autoritate, & multis alijs citandis, ex parte finis vltimi humanæ vitæ, nempe æternæ gloriæ, deſignant; tum etiam quia Caluinus reduxit prædictam neceſſitatem ad cauſam efficientem, quæ (vt dixi) neceſſitas abſoluta eſt, ex quo compulſus fuit alium peſtilentiſſimum errorem, qui inde oriebatur, nempe neceſſariam connexionem inter fidem & opera bona, concedere. Vnde benè apparet anguſtia, qua miſerrimus omnium hominum Caluinus premebatur, & ipſius bonus animus & Religionis zelus, qui nouam excitare hæreſin maluit, quam à capitali doctrina de Iuſtificatione, ex qua prædicta nunc hæreſis originem trahit, diſcedere, illamq; retractare. Sed quam miſerabilis hęc de Iuſtificatione doctrina, quæ tot paradoxis, cauillis & figmentis indiget, vt fulciatur: hæreſis verò prædicta multis in locis Caluini doctrinæ inuenitur, præſertim loco iam citando vbi ſic ait. Li.3. inſti. c.16.§.1. *Non enim aut fidem ſomniamus bonis operibus vacuam, aut iuſtificationem quæ ſine ijs conſtet, hoc tantum intereſt, quod cum fidem*

 & bona

capitis)eſt refutare Papiſtas,qui(vt dicit)calumniantur,ipſum per ſuam ſententiam de Iuſtificatione abolere bona opera & conatur probare,quod non obſtante prædicta ſententia, multò magis ab ipſo erigantur & ſtabiliantur, quam à nobis; pro quo præpoſuit concluſionem intentam, quam ſuprà citauimus,de connexione neceſſaria inter fidē & bona opera ac immediatè poſt ſubiunxit illius probationem ſatis fuſam,quę ad ſummam redacta ſic habet.Iuſtitia Chriſti & ſanctitas indiuiduo nexu ſe concomitantur, & per conſequens impoſſibile eſt vnam abſque alia apprehendi; Sed fide apprehendimus iuſtitiam Chriſti, qua iuſtificamur. Ergò fide apprehēdimus ſanctitatem Chriſti, qua ſanctificamur. Tandem infert Caluinus concluſionem intentam, nimirum quod opera bona iuſtificatos iuſtitia imputatiua Chriſti neceſſariò conſequantur,in illis verbis. *Ita liquet, quam verum ſit*, &c. In fine verò omnium repetit medium pro concluſione ibi. *Quoniam in Chriſti participatione*,&c. Sed(vt bona venia Caluini ſequacium dictum ſit) nugatoriè iſte homo metere voluit, quod non ſeminauit. Ex eò enim, quod qui eſt iuſtificatus iuſtitia Chriſti apprehenſa per fidem, apprehendit quoque per eandem fidem ſanctitatem Chriſti, nullo modo infertur,quod prædicto modo iuſtificatus non ſine operibus bonis iuſtificetur, vt Caluinus deducere prætendit. Nam ſicut ex apprehenſione iuſtitiæ Chriſti per fidem, non ſequitur ſecundum Caluinum, niſi nos eſſe iuſtos iuſtitia extrinſeca Chriſti nobis imputata: pariter ex apprehenſione ſanctitatis Chriſti per fidem, non ſequetur, niſi quod ſimus ſancti ſanctitate intrinſeca Chriſti nobis imputata. Ex hoc autem vltimo conſequente inferre poſtea,quod iuſtificati per fidem apprehendentem,iuſtitiam Chriſti abſque bonis operibus nō iuſtificentur,atque inde aſtruere neceſſariam connexionem inter fidem & bona opera,ineptum eſt, non minus, quam ſi aliquis hoc modò argueret. Cœlum mouetur; ergo baculus ſtat in angulo.In quo ſatis mirari non poſſum,virum elegan-

 tis diſ-

tis discursus in pũcto principaliter ipsius honorẽ concernente, hallucinatũ esse, ac adeò obcæcatum, vt argumenti, quo necessariam connexionem fidei, & bonorum operum astruere tantoperè contendebat, absque vllo nexu conclusionem ac præmissas, reliquerit, cum tamen per ipsum patentissimè deducere intentum, & se purgare plenè à Papistarum imposturis certissimè sibi persuaserit.

Lib. 3. Instit. ca. 14. §. 21. cap. 15. §. 4. ca. 16. §. 1. 2. & 4. cap. 17. §. 5.

Video aliam probationem Caluini ad idem propositũ stabiliendum, fundatam in ratione prædestinationis, quam insinuat varijs locis suæ doctrinæ. Putat enim, quod electi à Deo sint destinati ab eodem ad vitam æternam, vt per bona opera deducantur in eius possessionem: ex quo manifestè colligitur, quod iustificatus iustitia imputatiua Christi, non percipiet vitam æternam absque bonis operibus, & per consequens, quod inter iustificatum iustitia imputatiua Christi & bona opera, sit necessaria connexio. Sed hoc argumentũ fundatum in ratione prædestinationis, nihil valet pro Caluino: & ratio subest plana, quia necessitas ex vi prædestinationis sumitur ex parte prouidentiæ diuinæ; quandoquidem prædestinatio est pars prouidentiæ prędictę. Est enim prædestinatio prouidentia Dei determinata ad creaturas intellectuales, vt de se notũ est. Cum autem necessitas ex parte prouidentię, teneat se ex parte causæ finalis, vt omnibus est manifestum, fieri nullo modo potest, quod ex prędestinatione hominis ad vitam æternam, colligatur necessitas operum bonorum, nisi teneamus opera bona esse necessaria ad obtinendam vitam ęternam, quod nos Catholici fatemur. Vnde secundum nostrã doctrinã de valore operum bonorum argumentum quod fit ex parte prædestinationis concludit intentum: sed quia apud Caluinum sola fides est, qua valemus comparere ante diuinũ tribunal, & cætera hominis opera coram Deo fœtent. Restat quod ex vi prædestinationis non potest aliquis cõcludere pro Caluino, nisi necessitatem fidei, non autem necessitatem operum, nisi se probet ignarum Theologum. Si verò dicatur

quod

quod quamuis non indigeamus bonis operibus pro consecutione vitę ęternę, nisi duntaxat fide; tamen Deus ordinaria sua dispensatione per opera bona, eo suos electos & prædestinatos deducit. Respondeo, quod eadem facilitate, qua hoc dicitur, sit contemnendum, nisi probetur, quod nunquam fecit Caluinus, nec sui facient, stante illorum pestilentissima doctrina de Iustificatione.

Tertiam probationem apparētem ex dictis Caluini video, quam etiam à communi plebe audiui passim; ex verbis scilicet Saluatoris, Matt. *Non potest arbor bona malos fructus facere,* Cap. 7. desumptam. Bonā arborem esse putant Caluinistę hominem iustificatum: Et quia firmiter tenēt se esse iustificatos per fidē apprehendentē iustitiā Christi; asserunt illos, qui habent fidē iustificantem (quā ipsi seculares Gallico idiomate *le vrai credo,* vocant) nō posse facere mala opera. Quoniam autem hoc argumentum vim trahit ex affabili quadam metaph. adeo imbibitū est in cordibus Caluinistarum, & tritum, atque præ manibus, inter illos, vt vix muliercula, aut puer sit, iamiā ex ouo prodiens; qui si de hoc puncto interrogetur, non citò respondeat, *quia à le vrai credo a les œuures,* taliter vt reor, hęc arbor non sit ex minoribus fulcris Caluinisticæ Religionis: verum quantò iucundior metaphora, tanto lepidior infelicis plebeculæ seductio. Sed huic difficili argumēto occurramus.

Admitto equidem, inter arborem spiritualē & bona opera esse necessariam connexionem, & hanc esse Spiritus S. mentē in autoritate allegata amplector. Sed quæstio est, quę intelligatur hic à Christo bona arbor spiritualis: Expresse autem nego intelligi hominem iustificatum iustitia imputatiua Christi apprehensa per fidem; imò etiam dato & nō cōcesso, quod prædicta iustitia imputatiua iustificemur, negandum esse facillimè ostendo pręsupponendo, quod fructus, de quibus Christus loquitur, sint bona opera exteriora: & hoc patet clarè ex eodem cap. Matth. dum dicitur. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos:* Cap. 7. Euidentissimum enim est, quod interiorē hominē

duntaxat

duntaxat cognoſcere videmus ex operibus exterioribus. Reſtat ergo quod pro fructibus intelligat Chriſtus opera exteriora; hoc autem ſuppoſito liquet, quid Saluator intendat: Vt enim indicat metaphora, qua Chriſtus vtitur de arbore materiali, nomine arboris ſpiritualis vult deſignare hominē cum interiori diſpoſitione conſtitutum, ex qua immediatè mouetur & prorumpit in opera exteriora: hæc autem diſpoſitio non poteſt eſſe ſola fides, quia ex fide ſola non mouetur homo ad opus, ſed requiritur etiā intentio hominis, vt luce meridiana clarius eſt. Sequitur dilucidè quod nomine arboris ſpiritualis, Chriſtus velit indicare hominem, nō vt ſtat ſub fide, quæcunq; illa fuerit, ſed vt ſtat ſub intentione, & eſt mens illius, quod ſi homo habet malam intentionem, non poteſt producere bona opera exteriora; ſi verò bonam, non poteſt mala opere edere exteriora. Rude igitur ex autoritate allegata colligere quis prætendet neceſſariam connexionem inter hominem iuſtificatum iuſtitia imputatiua Chriſti apprehenſa per fidem & bona opera, niſi probat prius quod quicūque habet veram fidem, habeat bonam intentionem, quod nunquam faciet; imò potius mihi videtur allegata prædicta autoritas directè contra Aduerſariorum doctrinam militare eamque ſubuertere, ſi contra ipſos retorqueatur, vt argumentum ſequens docet.

Nulla bona arbor, manens bona arbor, poteſt aliquando edere aliquem malum fructum.

Sed aliquis homo iuſtificatus imputatiua iuſtitia Chriſti manens iuſtificatus, aliquandò edit fructus malos.

Ergo aliquis homo iuſtificatus imputatiua iuſtitia Chriſti manens iuſtificatus non eſt bona ardor: cuius oppoſitum Caluinus tenet, & Caluiniſtarum eſt trita & celebris ſententia.

Syllogiſm'. Syllogiſmus propoſitus eſt in tertio modo ſecundæ figuræ: Eius maior eſt Aduerſariorum, quam tanquam ab ore Saluatoris prolatam meritò ſuſcipiunt. Minorem non credo ab aliquo

aliquo mente tamen compote, nisi risu & sibilis se exponit, negandam. Fateor enim vt certissimum ac exploratissimum plurimos Caluinisticæ sectæ, & non paucos mihi notos, pudicè, sobriè & modestè viuere, paci & tranquillitati studere, qui in operibus misericordiæ, præsertim in eleemosynis corporalibus quotidianis, & extraordinarijs erogandis se exercent, nec non, quoad fieri potest, intra metas suæ sectæ abstinent à Dei offensis & peccatis: Sed neminem prædictæ Religionis Deum offendere opere, vel alicui validæ tentationi superbiæ, vel rei veneraeç aut odij fratris siue vsurarij contractus &c. aliquando succumbere, incredibile omninò est & planè contra experientiam; quin imo (cum bona venia dictum sit) paradoxum ne dicā delirium esse puto, quod multis modis declaratur. Primò quia, cū actus fidei, in quo Caluiniana Religio nostram iustificationem constitutam esse dicit, nihil aliud sit, quam actus credendi illud, quod credendum esse, & eo modo quo credendum Religio dicta præscribit; sequitur quod qui in seipso experitur pręfatum actum credendi, experiatur quoque se habere actum veræ fidei iustificantis, in quo nostra iustitia (secundū sententiā Caluini) consistit; sed aliqui antequā peccent experiuntur habere in se pręfatū actū, ergò &c. Relinquitur igitur falsissimū esse dicere, ex eo, quod quis peccat, à posteriori colligi, non habuisse veram fidem, illam scilicet, quam veram existimabat antequam peccaret. Subsumpta huius prosyllogismi experientia probatur apertissima.

Secundò hoc idem confirmatur sic, pręsupponendo vnum ex præcipuis dogmatibus Caluinianæ Religionis, nēpe quod ille, qui est iustificatus, debet esse certus in particulari de ipsomet, nempe quod sit iustificatus: si autem modo dicto non sit certus quis de sua iustitia, asserunt Caluinistæ, quod talis nō sit iustificatus: Cum verò eorundem sententia sit, quod per fidem apprehendentem iustitiam Christi iustificemur: Deducitur ex eorum dictis euidēter, quod nemo potest esse certus de sua iustitia, quin sit certus de sua fide. Si verò his addatur, quod prædicta certitudo quam quis debet habere se esse

 iusti-

Digitized by Google

iustificatum, procedat à fide eadem, qua iustificatur (quod necessariò compelluntur dicere, vel saltem, quod procedat ab aliqua fide, quæ sit donum Dei cui nullo modo potest subesse falsum seu deceptio) Restat cõclusio clara, nimirum, quod iuxta sententiam Caluinistarum debeat, quicunque habet fidem iustificantem, ex fide diuinitus infusa certò credere se habere fidem iustificantem, tali videlicet certitudine, vt nullo modo falli vel decipi queat. Quicunq; igitur verè tenet Caluinisticã fidẽ, ex actu proprio discernit illam; & per consequens ineptum est planè & ridiculum, dicere, quod aliquis, qui existimabat certò se habere fidem prædictam, ex eo quod peccat dignoscatur à posteriori, non habuisse antequam peccaret veram fidem. Item cum is, qui est expositus tentationibus, semper sit dubius, si oblata vehementi tentatione tandem succũbat, aut resistat: Sequitur euidenter, quod si ex eo, quod quis peccat colligatur, eum antequam peccaret non habuisse verã fidem, quod iste vt est dubius de peccato, pariter de vera fide erit dubius. Omnes igitur Caluinistæ, cum sint tentationibus sicut cęteri homines subiecti, de fide sua erunt dubij, et per cõsequens de sua iustitia: Sed dubitantes de sua iustificatione (iuxta Caluinistarum sententiam) non sunt iustificati. Concluditur tandem, quod nullus Caluinista sit iustificatus; sed hoc ipsi non concedent; ergò falsum est illud, ex quo sequitur, nimirũ quod ex eo, quod quispiam peccat colligatur, eũ antequã peccaret non habuisse verã fidẽ, vt Caluinistæ sõniãt.

Demũ quis non videt, quã metamorphosin & confusionẽ eorũ dictum in orbe Christiano pariat, si ex eo, quod homines peccent, veram fidem antea non habuisse cẽseantur? Plurimi enim illius Religionis, vt boni & verè fideles ab ipsismet, & ab omnibus haberi volunt, & de facto reputantur; quales eorum etiam Ministri sunt, quorum dicta à Spi ritu S. prolata eumque per eos locutum esse indicant, & æstimari volũt, atq; etiã prædicant: sed tamen tentationis dęmonis carnisq; victi, aliquando, vt & cęteri homines, peccatis dubioprocul cõsen-

r iunt.

tiunt. Si is igitur, qui peccati veram fidem iustificantem, quã Caluinistæ dicunt, antequam peccaret non habuisse iudicetur: cui vnquam mortalium constare poterit, seipsum vel alium verã fidẽ habuisse? Hæc de confutatione huius delirij dicta satis sint; obiter tamẽ vt sufficit ad præsens institutum: nam ex professo illud impugnare fusiorẽ requirit orationẽ.

Quare peractis his ad autoritatẽ, primam ex Matth. citatã, & in confirmationẽ atque corroborationẽ conclusionis nostræ positã accedamus, Glossãque Caluini allatã monstrem⁹ cũ textu stare nullo modo posse. Pro quo suppone, quod in loco allegato (vt legenti textũ clarè patet) describitur finale illud tremendũ ac generale iudiciũ, in quo duæ sentẽtiæ altera s. in fauorem: altera verò contra illos, qui mala opera præstiterũt, sunt promulgandæ; & illis regnũ cœlorũ; his verò ignis æternus adiudicabitur: quo supposito, facilè est ostendere iã Caluini cõmentũ verissimũ esse figmentũ. Rogo. n. si supremus Iudex nõ intendet facientibus opera bona, tribuere regnũ cæleste propter bona opera quæ fecerunt, quorsum faciet mentionem in sententia de bonis operibus? Impertinens & plane rediculosũ videtur, atq; à proposito alienum, quod supremꝰ ille Iudex pro tribunali sedẽdo, adeo seriò recensiturꝰ sit bona operã, & tñ propter illa daturus nõ sit, quod in fauore illis, qui ea patrarũt, tribuendũ decernet. Præterea cũ scopꝰ Christi in prædicta descriptione iudicij finalis sit, vt ad vitam ęternã anhelemus, perpetuãque damnationẽ fugiamus (vt de se est manifestũ) incõuẽnienter Christus in descriptione illa designasset, quid boni & mali adiudicabit Iudex in sententia pronũcianda absq; eo, quod cõmemorasset causã, quare & pro cõtra iudicaturus sit, vt inde media applicaremus ad euadendã & fugiendã ęternã damnationẽ, & consequendã vitam æternã. Cũ igitur ib. nõ fiat mentio pro vita æterna tribuenda nisi de bonis operibus; sequitur quod per opera bona à nobis patrata vitã ęternã simus consecuturi. Tertiò idẽ deducitur perspicuè ex eo, quia negari nõ potest, vt & ipsi heretici quoque fatetur, mihiq; Collocutores inter disputãdũ cõcesserũt,

quin in sententia prędicta supremus Iudex causam exprimat; quare damnandi in infernum detrudendi sunt. Dicunt igitur nobis cum prætactum iudicium sit futurum vniuersale, tam pro saluandis quam pro damnandis, quare in damnandorum sententia causa damnationis à Christo exprimatur, & in sententia saluandorum non fiat mentio de causa, ob quam illi saluandi sunt. Cum ergò nulla sit maior ratio, & in sententia saluandorum commemorentur bona opera; sequitur, vt indubitatū quid propter opera bona vita æterna tribuenda sit.

Sed aduerte pie lector, manifestam præsumptionem contra Aduersariorum sententiam ex descriptione hac finalis iudicij colligi. Aiunt enim propter nullum actum ex parte hominis vitam æternam tribuendam esse, nisi propter solum actum fidei, & tamen à Christo nulla futura mentio in prædicto finali iudicio de actu fidei designatur. Et quamuis secundum doctrinam nostram ad vitam æternam adipiscendam fides quoque requisita sit, imò radicem & fundamentum toti⁹ structuræ spiritualis nos esse confitemur, non tamen Saluator meminit fidei: Primò (vt reor) quia ipsum credere impro-
Cap. 3. priè pertinet ad iudicium. Nam scriptū est Ioan. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Sicut enim Rex ciuius delinquentis causā examinat, & tandem iuxta acta & processum sententiam pronunciat, illumque damnat: extraneum tamen quem apprehendit, absque processu lictori plectendum tradi iubet. Similiter Christus causas ciuium Reipublicæ Christianæ perpendet & examinabit, feretque sententiam: extraneos verò hostes Reipublicæ Christianæ, infideles scilicet absque aliqua discussione ad sinistram præcipiet collocari. Secundò, vt puto, causa principalis huius rei est, quia, vt tetigi supra, mens Christi in prædicta finalis iudicij delineatione erat, homines ad media necessario adhibenda pro æternæ vitæ consecutione, & æternæ pœnæ euasione inducere; vnde ea sola nobis, quę difficiliora hominibus sunt, proposuit, & in quibus magis deficere solemus, quæ opera bona sunt. Stat igitur allatæ autoritatis.

ritatis verus ac plenus sensus, nimirum, quod quia mens Saluatoris erat, vt bonis operibus satagamus adipisci regnũ coeleste illud fortissimum, per prædicta bona opera à nobis diuino auxilio suffultis expugnandum proponit. Idem etiam apud Ioan. Christus insinuat, dicens. *Procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Cap. 5.

Porrò vlterius hanc nostram sententiam ex alijs eiusdem Saluatoris verbis apud eundem Matth. citatis comprobemus. Interroganti Adolescenti, quid boni faciendum sibi esset ad possidendam vitam æternam, respondit Christus. *Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Cap. 19. Et iterum sciscitanti iuueni, quænam illa essent, Saluator respondit: *Non homicidium facies. Non adulterabis. Non furtum facies: Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut teipsum.* Habemus expressum in his verbis valorem bonorum operum ad obtinendam vitam æternam, neq; tergiuersatione aliqua euadi hic locus potest, qualem Caluinus huic similem apud Lucam cap. 10. vbi sermo fit de Legisperito, detorquet. Nam adolescens non fucato animo Christum Saluatorem accessit, sed syncero corde cupidus veritatis sciendæ interrogauit, idq; verum esse ex eo liquet, qua Marcus Euangelista referens eandem historiam ait; quod quando se fecisse prædicta mandata à Christo recensita adolescens respondisset, *tunc intuitus eum Christus, dilexit eum.* Decebat autẽ Christum Magistrum veritatis interroganti sine fictione candidè & rotundè veritatem aperire, vt pastum debitum, esuriẽti animæ porrigeret. Neque videre possum, quo pacto Glossa Caluini supra citata huic loco adaptari queat.

Pergamus iam ad alia Sacri Codicis testimonia in lucem producenda, vt nostram sententiam corroboremus: quarum prior est 2. Corinth. *Id autem quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Cap. 4. Quo pacto melius poterat efficacia

Digitized by Google

cacia bonorũ operum reſpectu vitę æternę conſequendæ exprimi, quam dicendo quod bonum opus huius vitæ quamuis exiguum, & in momento expeditum operatur in nobis æternæ gloriæ pondus? Hoc idem Apoſtolus ad Philippenſes declarat, quos exhortans ad opera virtutis, nempe concordiam, humilitatem, obedientiam ſic concludit. *Itaq; chariſſimi mei*
Cap. 2. *ſicut ſemper obediſtis, non vt in præſentia mei tantum; ſed multò magis nũc in abſentia mea, cum metu et tremore veſtram ſalutem operamini.* Nec apparet quonã pacto Gloſſa Caluini allata hic accommodari queat; præſertim ſtantibus illis verbis, nempe cũ metu & tremore, quę cuicũq; tergiuerſationi in viam precludunt. Nam per illa ab Apoſtolo monemur, ſolicitum & diligentem operam nauare, ne æterna ſalus, ad quam aſpiramus, nos fugiat. Vnde duo manifeſtè colliguntur: Vnum ad noſtrum inſtitutum faciens, nempe quod opera bona pro vita æterna conſequenda ſint neceſſaria: Alterum verò (licet obiter dicam) quod nemo in particulari de æterna vita conſequenda certus ſit. Nam ſi cum timore & tremore de ſua ſalute obtinenda quiſpiam laborare debeat, dubia eidem erit, cuius oppoſitum Caluiniſtę tenent.

Eandem nobis veritatem Sacrę literę alijs verbis oſtendũt: Regius enim Vates inquit. *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione & metent.* Et Apoſtolus 2. Corinth. *Qui parcè ſeminat parcè & metet.* Præterea ad Gallatas: *Quæ autem ſeminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem; qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem non facientes deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Ex allegatis autoritatibus habemus liquidò, quod talem tantumque fructum ſpiritualem in alia vita percepturi ſimus, quale ſemen in præſenti à nobis ſeminatum fuerit: Si autem ſupponamus (vt ex omnium conſenſu & lotis nunciatis conſtat) bona opera eſſe ſemen pro ſpirituali fructu colligẽdo; Sequitur non ſolũ, quod propter opera bona percipiamus vitam eternam, verũ etiam quòd iuxta menſuram operum bonorum, quę in hoc ſeculo

Pſal. 125. Cap. 9. Cap. 9.

perf

perfecerimus gloria ęterna in futuro sit rependenda. Qui enim exiguam eleemosynam pauperi indigēti, in pręsenti vita erogauerit, min' de ęterna gloria participabit: qui verò in benedictionibus, id est, abūdanter & largiter, stipē egeno petenti dederit, maiorem quoque in alia vita gloriam possidebit. Pari ratione, qui plures & vberiores lachrymas propter Deū in pręsenti vita profuderit, qui maiores labores & afflictiones propter Deum sustinuerit, copiosiori etiam gaudio & exultatione in futura perfruetur: & hoc idem de reliquis virtutū actibus, quos homo diuina gratia adiutus pręstat, sentiendū esse in autoritatibus adductis docemur; Et quāuis mens Apostoli plana sit hęc eadem, quam deduximus, nihilomin' ex conclusione, quam post citata verba infert. *Ergò dum tēpus habemus, operemur bonum.* adeò liquet, vt nullus falsissimis Caluini commentis locus supersit. Nam si propter opera bona nō obtineremus vitam ęternam, consequentiam prędictam, quā fecit Apostolus, nullius esse momenti, etiam literarum tyronibus innotescit. Eandem operum bonorum, & vitę ęternę cōmēsurationem Psal. etiā testatur. *Semel locutus est Deus. Duo* Psal. 61. *hac audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera sua.* Et Matth. *Filius quidem* Cap. 16. *hominis venturus est, in gloria Patris sui cum angelis suis, & reddet vnicuiq; iuxta opera sua.* Quod Apostolus alibi quoque ad Rom. comprobat. *Qui reddet vnicuique secundum opera eius,* Cap. 2. *ijs quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem incorruptibilem quarunt vitam æternam.*

Præter allatas autoritates sunt & aliæ, quæ bonis operibus vim ad consequendam æternam gloriam inesse alijs terminis demonstrant. Ait enim Apostolus 1. ad Timoth. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Cum nomine pietatis opera virtutis (secundum omniū sententiam) intelligantur: Vtile autem illud vocatur, quod est medium ad assequendum finem aliquem; sequitur euidentissimè, quod opera virtutis sint medium, ad æternam

vitam

vitam consequendam. Idem quasi ad Tit. habetur. *Sermo fidelis & de his volo te confirmare, vt curent bonis operibus præesse, qui credunt, quia hæc sunt bona vtilia hominibus.* Videtur in verbis allegatis Apostolus directè se opponere Aduersarijs, qui tenent solum actum credendi esse vtilem ad vitam æternam, dum quasi monendo dicat, quod illi qui credunt, non sint actu credendi contenti, sed curent bona opera exercere, eo quod non tantum ipsum credere, verum etiam bona opera sint vtilia hominibus; id est apta ad consequendum finem, ad quem homines aspirare debemus, qui est æterna felicitas. Alia loquendi forma, sed quæ in idem recidit Catholicam nostram sententiam Sacer codex patefacit, 1. Cor. *Itaque fratres mei estote stabiles, & immobiles in opere Domini, semper scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Si propter solam fidem tribuitur vita æterna (vt pars aduersa prædicit) assiduus labor in opere Domini, quem vrget hic Apostolus inanis planè erit, & frustraneus, quandoquidem siue multum, siue parum laboremus, æqualem fructum reportabimus. Et Apoc. *Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu: & audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo enim dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* Ecce causam, quare illis, qui in Domino moriuntur, reddēda sit à Deo requies laborum, quos pertulerunt custodiendo mandata eius, clarè expressam, nimirum opera bona ab ipsis, dum in hoc mundo agerent patrata; quæ quia propter ipsa à Deo (cuius conspectui semper præsentia sunt) datur requies, autores suos sequi dicuntur.

Cap. 10. | Cap. 15. | Cap. 14.

Faciunt quoque pro nostræ intentæ veritatis confirmatione, omnes illæ autoritates Sacri Voluminis, in quibus opera bona in præsenti seculo ab hominibus patrata, in futuro coronari designantur. Harum igitur aliquot in medium producemus. Apud Tobiam legitur. *Hoc autem habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit coronabitur.* Si enim vt

explora-

Digitized by Google

exploratissimum est omnibus) corona operum propter opera detur, & tribuatur, manifestè ex hac & sequentibus Sacræ Scripturæ sententijs deducitur nostrum propositum. Sed Caluinus suam nefariam opinionem mordicus propugnans, nō acceptat, quod vita æterna in sacra Scriptura propriè dicatur corona operum, & quodam detestando glossemate euadere se omnia hæc allata testimonia non dubitat. Ait enim, quod quia in vitæ æternæ possessionem Deus electos suos per bona opera deducit, coronari illa dicuntur, licet non propter opera bona patrata vita æterna ijs concedatur: Sed quam miserabilis glossa, quis non videt? Peto enim à suis cum scriptura exprimat, coronari opera bona, quæ etiam ab eadem dicantur, operari vitam æternam, varijsque sententijs disertissimè & apertè valorem operum pro perceptione vitæ æternæ designet, quare illas non acceptat Caluinus in sensu proprio? quare in suam detorquet sententiam, ad sensum improprium & metaphoras pertrahendo? Causam aliam nullam assignare queunt, sed vnica hæc illorum esse potest; quia proprius omnium prædictarum auctoritatum sensus, Caluinistarum de Iustificatione doctrinam subuertit. Verùm inferius egregia hæc causa examinabitur, interim mihi videtur, quia in hoc loco, & alijs infra citandis, corona gloriæ conditionaliter dāda designatur, nempe si vita in probatione fuerit vel alia consimili conditione: vita autem in operationibus bonis probetur: certò certius est, non per solam fidem, verum etiam propter opera bona, tribuendam esse, nòn obstante Caluini interpretatione, quam impossibile est testimonijs prædictis adaptare.

Sed agedum pergamus ad autoritates maximè autenticas etiam ab hæreticis receptas, nā Tobias suspectus ipsis est. Paulus 1. Corint. inquit. *Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incor-* Cap. 9.

 ruptam.

ruptam. Hic non est dubium Apostolo sermonem cum fidel-bus esse, quos monet vt currant, per bona opera satagant, ne non ab omnibus abstineant, vt accipiant brauium & incorru-ptam æternę gloriæ coronam. Consequens ergo fit, quod bona opera ad eternam felicitatem obtinendam summe ne-cessaria sint. Idem Apostolus haud congruè alio in loco de se ait 2. ad Timotheum. *Bonum certamen certaui, cursum con-summaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iu-stitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex*. Quo
Cap. 4.
ad hanc autoritatem peto ab aduersarijs, vtrum Pauli cer-tamen & cursus eius solum per fidem fuerit; anne etiam per
Cap. 6. bona opera, vt ipse describit, 1. Corinth. nempe prædicatio-nem, instructionem, ieiunia, itinera, persecutiones, plagas, tribulationes, pericula, &c. Cum ergò pro bono certamine, & cursu expleto, ait reseruari sibi gloriam æternam, & non quouis modo ipsi dandam, sed ex iustitia, & à Deo, non vtcunque, sed formaliter loquendo, in quantum scilicet iustus iudex est, luce meridiana clarius liquet, vitam æter-nam propter opera bona dari. Et ad Titum hoc idem de-
Cap. 2. clarat. *Labora sicut bonus miles Christi. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se pro-bauit. Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legi-timè certauerit*. Ecce cum certare legitimè in agone spi-ritualis vitæ, nihil aliud sit, quam superare tentationes: Hoc autem fit benè operando, & à malo declinando, qui-bus disertioribus & magis perspicuis verbis, valor & effica-cia bonorum operum ad æternę vitę consecutionem, ex Spiritus sancti mente exprimi poterat? suamque glossam Caluinus, si potest adaptet, vel nouam sui excogitent. Et
Cap. 4. Sapiens. *O quam pulchra est casta generatio, cum claritate: immortalis enim memoria illius, quoniam & apud Deum no-ta est, & apud homines, cum præsens imitantur, & desiderant eam cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat in coinquinatorum certaminum præmium vincens*. Demum san-ctus Ia-

Digitized by Google

ctus Iacobus. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Ex quibusdam iam citatis autoritatibus, multisque alijs, quę ad propositum adduci possent, quas lubens prætermitto, irrefragabile argumentum contra Aduersarios desumitur. Habetur enim ex illis, quod necessarium sit vincere in certamine & pugna spirituali nostros inimicos ad obtinendam gloriam ęternam: cum autem inimici, cum quibus nobis in arenam descendendum & luctandum est, sint Diabolus, Mundus & Caro, quorum tota solicitudo est, eoque omnes conatus dirigunt, vt nos à bonis operibus abducāt, & ad mala opera alliciant & trahant, quos vincere, & superare, est allectiuis mundi, carnis & dœmonis persuasionibus minimè consentire, ac sancta Deoque grata opera exercere. Manifestè hinc intenta nostra conclusio colligitur, nimirum quod opera bona nedum prosint ac iuuent, verum etiam necessaria ad æternam gloriam consequendam sint. Quo pacto autem Aduersariorum sententia, ab hac facta obiectione tueri sese valeat, non video, quantumuis totus infernus in patrocinium causæ Aduersariorum accedat, glossasque & subterfugia ministret, nisi dicendo nullam aliam nobis pugnam cum inimicis nostris in hac vita esse, in qua pro ingressu cœlestis patriæ victores euadere, palmamque referre debeamus, quam pro fide tuenda, quod nullum tamen Caluinistam dicturum mihi persuadeo; quia oculariter vnà nobiscum (proh dolor) conspiciunt, quod innumera alia tormenta contra humanum genus, eius coniurati hostes explodant, imo minimum & postremum telum est, quod contra fidem dœmon iaculatur: toto enim conatu & viribus incumbit, vt bona opera subuertat, quibus Christianæ vitę fortalitijs expugnatis ac euersis, fidem impetit, & tandem anima languida in fide pulsata de facili in hæresim labitur, atq; dęmoni plenè incorporatur.

 Ex iam

Ex iam dictis oritur aliud contra Aduersarios argumentũ, quod prædictę vltimo loco allegatæ autoritates nobis suppeditant, lepidũ sanè & ridiculum; sed quia meo iudicio efficax proponere libet, pro quo quæro; Vtrum diabolus consolidatos in fide tentet, non solum in fide, verum etiam in alijs virtutibus, nimirum humilitate, castitate, alijsque consimilibus operibus studiosis: non credo quenquam sanæ mentis id negare posse, quia nullus hominum est, qui quantumuis exterius passiones suas dissimulare velit, quin interiorem hominem varijs modis exagitari non sentiat, vt vel carnis stimulis incitetur, aut inuidia rodatur, aut superbia inflectur, alijsq; id genus tentationibus vexetur & affligatur. Cum autem certissimum sit cruentam illam salutis humanæ inuidam belluam, neminem tentare & aggredi, nisi ea intentione, vt eum a cœlestis patrię via abducat, aditumque ad eam præcludat; consequens manifestũ sit, quod illa bona opera, in quibus dœmon nos tentat ac impedire procurat, præuideat ipse ad æternam salutem capescendam necessaria esse. Restat ergò conclusio Catholica plana, nempe quod opera bona ad vitam æternam possidendam iuuent, & prosint, necessariaque sint.

Duo autem pars aduersa dicere potest ad euadendum pręsens argumentum. Vnum est, quod Diabolus decipiatur (pu- istimans scilicet, quod opera virtutis ad salutem æternam sint necessaria, & idcircò tanto studio laborat, vt homines ab illis retrahat, & tamen res non sic se habet, vt dœmon putat. Sed nec mihi, nec cuiquam hæc responsio probari valet, cum diabolus sit subtilis theoricus, & quia senex antiqua & frequenti experientia pollens, magnus sine dubio practicus optimè comprobatissimum ipse habet, quam ob causam homines ad æternam gloriam admittantur à Deo, quæque obstacula ad eius assecutionem impediendam ponere debeat, nec æstimo eum vllo modo hac in parte posse decipi, cum sint prima principia suæ malignæ artis. Alterum verò, quod respondere possunt, est, quod ex puncto, quo aliquis est Religionis

(vt di-

(vt dicunt Reformatæ Caluinisticæ) à diaboli tentationibus planè sit immunis. Sed non credo, quantumuis iudicio orbatus aliquis audeat talem publicè proferre responsionem. Appello enim iudices illius cunctos prædictæ Religionis vtriusque sexus, & syncero corde secundum quod in se indies experiuntur, pronuncient, vtrum prędicta responsio subsistat, etsi titulo responsionis, non absque magna irrisione suæ Religionis dotari possit. Quod si adhuc in eodem persistant, falsitatis arguuntur manifestè, quandoquidem stante prętensione Caluinistarum, videlicet, quod ipsi soli teneant veram Religionis viam, ipsósque duntaxat esse Christianos nomine ac re si esset verum, quod nunquam tentarētur à Diabolo, sequeretur quod Diabolus nullum Christianum tentaret; cuius oppositum pro certo relinquo, nec vacat modo probare. Præterea ex eodem aliud non minus incommodum ipsis sequeretur: Nam si eius Religionis sectatores tentationibus careant; sequeretur quod oratio dominica illis non seruiat, aut saltem duas illas partes, nempe, Ne nos inducas in tentationem: &, Sed libera nos à malo, proferre necessum non habeant.

Sed dum in opere sum, vt vna vice à Diabolo citissimè nos expediamus, & extricemus, vnum argumentum prædicto vicinum mutatis mutandis in alia tamen materia contra eosdem Aduersarios proponam, atque studiosum lectorem rogo, vt pro exigua digressione veniam concedat. Trita Caluinistarum sententiā est, quod semel iustificatus à iustitia decidere nequeat. Contra quam argumentor, præsupponendo quod dœmon etiam Caluinistas in fide tentet (cuius oppositum est ridiculum) Ergo vnum de duobus; vel enim dœmon decipitur existimando, quod ipsi à fide decidere possint: vel Caluinistæ à fide cadere possunt; primum est, improbatum; ergo secundum verum. Cum autem in fide secundum ipsos consistat eorum iustitia; sequitur quod etiā Caluinistæ à iustitia cadere possint; cuius contrarium pro viribus tuentur.

 Prætea

Præter adductas autoritates, aliæ quoque plurimæ in sacro textu inueniuntur, quæ de bonis operibus in particulari agentes, sententiam Catholicam adeò euidenter indicāt, atque expresſè manifestant, vt vix vlla nostra directione lector pro veritate capessenda, eorumque sensu quem Spiritus sanctus intendit penetrando indigeat. Ex quibus, plurimis alijs dimissis, aliquas proponemus; quarum prior sit Matthæus

Cap. 6. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in abscondito, & pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur: thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Certum est quod Spiritus sanctus vrget hic bona opera, & cum ad animandum nos ad illorum exercitium, dicat, quod per illa nobis thesauros in cœlo præparemus, sequitur alterum de duobus: Vel enim propter bona opera, hinc discedentes, thesauros illos in rei veritate consequemur, qui alij esse non possunt, præter vitam æternam: Vel Deus pia fraude nos decipit, vt nos ad bona opera alliciat, pollicendo scilicet, quod realiter & in effectu non explebit; hoc autem vltimum Caluinus non negat (vt suo loco monstrabimus, & improbabimus) igitur cum Catholicis primum est affirmandum. Item Saluator apud eundem Euangelistam Adolescenti viam

Cap. 19. salutis obtinendæ percontanti respondit. *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Quæro ab Aduersarijs nostris; an si dictis Iesu Christi verbis Adolescens cui loquebatur, acquiescens vendidisset omnia, quæ habebat, & dedisset pauperibus, maiorem in aliam vita gloriam reportasset, quam non acquiescendo? Hoc negare certè impium satis est, & ab omni ratione alienum; quia sequeretur, quòd beneficus Saluator, pro tam heroico facto, magnam Adolescenti dare remunerationem promittens, postea sua ipsum expectatione fraudasset, quod

impium

impium est proferre, necnon Dei gubernationi repugnans, quod Adolescens præfatus diuenditis vniuersis bonis manensque mendicus tantumdem de æterna gloria recepisset, quam retentis amplis facultatibus, & via ordinaria, vt cæteri homines mandata Dei (quæ se prius adimpleuisse confessus est) custodiendo; nisi perfricta fronte, aut delirans quispiam dicat, Deum non habere, quod vni plus de æterna gloria, quam alteri dari possit. Tandem in fine capitis eiusdem Euangelistæ scribitur. *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Omnium denique primi generis, autoritatum, hanc quæ sequitur Aduersarij in confutationem suæ abominandæ hæresis ex Pauli ærario depromptam pro complemento nostræ veritatis corroborandæ accipiant ad Timoth. *Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendāt veram vitam.* Eodem cap. Cap. 6.

Quod si alia à nobis autoritas ex sacris literis contra hæreticos allata non fuisset, hæc vnica ad illos conuincendos sufficeret: nam in ea luculentissimè atque euidentissimè valorem bonorum operum in ordine ad vitam æternam, Apostolus nobis declarat. Per citata enim verba planum habemus, ex bonis huius vitæ operibus thesaurum accumulari, qui est fundamentum ad vitam æternam possidendam, qui locus adeo validus contra Aduersarios est, vt eius vi pressus Caluinus, mirum in modum sese torqueat & crucietur, vt post multa tandem, quæ voluit & reuoluit, insolutam obiectionem à seipso factam relinquat, quod vt omnibus innotescat, verba ipsius Caluini, quæ hanc Pauli autoritatem ab ipso quoque citatam immediatè

Lib.3. Insti. c.18.§.9. diatè consequuntur in medium proponere libet; ait enim. *Opibus enim comparantur* (id est in proxima Pauli autoritate & consimilibus) *bona æterna, quibus in beatitudine vitæ æternæ fruamur. Respondeo nos ad veram eorum intelligentiam numquam accessuros, nisi oculos in scopum conuertamus, quo sua verba Spiritus dirigit. Si verum est, quod ait Christus, ibi animum nostrum residere, vbi est thesaurus noster: quemadmodum filij seculi intenti esse solent ad ea comparanda, quæ ad præsentis vitæ delitias faciūt; ita fidelibus credendum est, postquā hanc vitam instar somnij mox euanituram didicerunt, vt ea quibus verè frui volūt, eò transmittant, vbi solidam vitam sint habituri. Quod ergò faciunt, qui demigrare instituunt in locum aliquem, vbi perpetuam vitæ sedem elegerunt, nobis imitandum est. Præmittunt illi suas facultates, neq; illis ad tempus ægrè carēt, quia se beatiores eo putant, quo plus habent bonorum, vbi sunt futuri. Nobis si cœlum patriam esse credimus, illuc potius transmittere opes conuenit, quam hic retinere, vbi subita migratione peritura nobis sint. Quomodo autem transmittemus? nempe si pauperum necessitatibus communicamus, quibus quicquid erogatur, sibi datum Dominus imputat. Vnde egregia illa promissio; Qui largitur pauperi, Domino fœneratur. Item. Qui benignè seminat benignè metet. Deponuntur enim in manu Domini, quæ fratribus ex charitatis officio impenduntur. Ille vt est bonæ fidei depositarius, olim restituet cum copioso fœnore. Ergone tāti sunt apud Deum nostra officia, vt sint in eius manu, quasi reconditæ nobis opes? Et quis horreat ita loqui, cum toties & tam apertè id testetur Scriptura? Cæterum si quis à mera Dei benignitate transilire velit ad operum dignitatem, his testimonijs ad errorem astruendum nihil iuuabitur. Nihil enim ritè inde colligas, nisi meram diuinæ erga nos indulgentiæ propensionem, quandoquidem quo nos ad benefaciendum animet, quamlibet vel solo eius intuitu indigna sunt, quæ illi exhibemus obsequia, nullum tamen perdidit.*
Quantum ad primum egregiè Spiritus sancti mentem hoc in loco Caluinus exponit; eam scilicet esse ait, vt nos moneat quatenus opes, quibus frui volumus, ad cœlum transferamus, vbi per-

Digitized by Google

vbi permanentem ciuitatem sumus habituri, ad instar illorum qui migrare ad aliquem locum instituunt, vbi perpetuò habitare elegerunt, qui præmittunt eò suas facultates, vt ibidem illis potiantur: Sed cum Caluinus opes nostras transferendas expresse admittat esse bona opera, certissimũ est, quod obiectio ab eodemmet formata intacta permaneat, & argumentum in suo robore perseueret, nec video quod quicquã etiam apparens ex his verbis, pro solutione applicari possit, præter illud, quod in calce responsionis suæ insinuat, nimirum quod opera bona dicantur in autoritate citata nostræ opes, vt per ipsas apprehendamus vitam æternam, non quod in rei veritate res sic sese habeat, sed proponitur à Deo vt per huiusmodi dicta animemur ad alacriter & frequenter bene operandum. Sed quia hac peruersa interpretatione Caluinus ad satisfaciendum secundæ classis locis vtitur expresse, illuc vsque examinanda differatur, interim videtur, quod si modo insinuato Caluinus præsentem allegatum locum euadere prætendat, plano Spiritus sancti sensui reluctatur. Item nihil stabile dicit, sed ad vtrumque latens se vertit, & contradictoria in suismet dictis inuoluit, vt attentè intuẽti progressum responsionis patebit: Vide igitur cãdide lector, ex cuius pestilentissimi Archisophistæ, & solemnissimi nugatoris doctrina, tot optimorum hominum, veritatis salutisque scienda cupidissimorum, animæ suspensæ detineantur, & deplorandam calamitatem cerne, quod præfati Caluini dictis, adeò firmiter ipsius asseclæ adhærent, in eiusque singula verba iurarunt, quasi patentissimis miraculis omnia ab ipso Caluino enarrata Spiritus sanctus contestatus fuerit, & cõprobauerit.

Hactenus de primi ordinis autoritatibus, per quas satis superque constat, Catholicam nostram conclusionem & veritatem, de valore bonorum operum ad vitam æternam percipiendam, certissimam esse, & contrariam defendentes toto cęlo à recto tramite aberrare, peruersissimamque hęresin amplecti. Nunc verò in plenissimam prædictę nostræ conclusio-

 nis

nis, ac sententię cõfirmationem ad secundæ classis Sacrarum literarum, ex plurimis quæ inueniuntur locis ex vtroque Testamento producenda aliquot, accedemus, quæ non minus perspicuè & euidenter, quam præteritę nostram intentam conclusionem demonstrant, vt nullo ductu aliquis veritatis cupidus pro ipsa percipienda indigeat, quorum locorum priora ex veteri testamento desumpta sunt. In Genesi Deus Abrahæ loquens ait. *Noli timere Abraham, ego protector*
Cap.15. *tuus, & merces tua magna nimis*. Et Ruth: *Reddet tibi Domi-*
nus pro opere tuo, & plenam mercedem recipies à Domino Deo
Cap.2. *Israel*. Dicant nobis si placet, Aduersarij, an possint vlla verba, aut termini excogitari, qui sententiam nostram clarius exprimant: vel enim non sunt contenti probationibus ex sacris literis, ex quibus depromenda esse argumenta, ad fidei dogmata confirmanda proclamant ac semper vrgẽnt: vel nostræ sententiæ acquiescere debent. Item Salomon in prouerbijs. *Seminanti iustitiam merces fidelis*. Et
Cap.11. Cap.2. Sapiens. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum*
Cap.6. *est merces eorum*. Præterea Ecclesiastes. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Iam ex nouo testamento aliquas quoque autoritates producamus, & primo in Sanctis euangelijs ex Iesu Christi ore, contentas proferamus. Matth.
Cap.5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. Præsens hic locus validissimus contra Aduersarios est,
Cap.6. sed quia in colloquio nostro Francofurtensi satis discussus, nunc supersedeo. Item ex eodem Euangelista. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum,*
Cap.6. *qui in cœlis est*. Alius præterea Euangelista, nempe Lucas. *Benefacite & mutuum date nihil inde sperantes, & erit mer-*
Cap.4. *ces vestra, & eritis filij altissimi*. Item Ioannes. *Qui metet mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam*. Recensitis iam ex ore Saluatoris prolatis verbis, vnum vel alterum

rum

rum quoque locum ex Pauli officina depromptos offerimus, quæ ęquè euidenter ac superiores nostram sententiam corroborant: Sic enim Apostolus inquit 1. Corinth. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: Dei enim adiutores sumus.* Si enim (vt Caluinus etiam tenet) nulla alia merces pro laboribus nostris à Deo repromittitur rependenda, quam æterna gloria, liquidam habemus in allata autoritate sententiam nostram, quę etiam ex verbis eiusdem Pauli proximè allegata sequentibus adeò dilucidè ac perspicuè deducitur, vt nulla Aduersarijs via euadendi pateat, quæ sic habent. *Vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: vnicuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* De duobus in præsenti autoritate mentio fit ab Apost. Vnum est fundamētum spiritualis ædificij. Alterum est illud quod prædicto fundamento superædificatur: Fundamentum dicitur esse Christus Iesus, seu (quod in idem recidit) fides in Christū: quod verò superædificatur sunt opera (vt clarè habetur in textu) Cum igitur Apost. subiungat, quod quisque recipiet mercedem pro opere quod probatū ab igne permanserit, euidentissimè sequitur, quod propter opus bonum detur gloria ęterna vt merces, non autem ille gradus æternę glorię, qui respondet fundamento pręd icto, vt de se est notissimū, sed augmentum prædictę gloriæ, iuxta mensuram sc: operis quod permanserit. Nec, vt syncerè loquar imaginari queo, quo pacto à præsenti Apostoli autoritate tueri sese aduersarij nostri valeant. Quinimo illorum delirium, nempe omnia opera bona, quæ iustificatus operatur, fœtere coram Deo, & nihil

Cap 3.

Eodem ca.

nisi

nisi irritare diuinam Maiestatem posse,quod est fundamentũ ipsorum sententię;subuertitur in præsenti loco à Paulo,dum aliqua opera nostra argento, auro, lapidibus pretiosis comparat.Denique aliud in Apocalypsi Ioannes testimoniũ pro nostro proposito subministrat. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est,reddere vnicuiq; secundum opera eius.* Cap. vlt.

Antequam ad vlteriora progrediar, satis opportuna mihi oblata occasione non abs re fore duxi,si quandam Caluini querelam hic proponam & examinem. Ipse enim simulans sibi cordi profectum Christianæ Religionis esse, ægrè fert in Ecclesia Dei,nomen Meritum introductum, & ea qua solet grauitate conqueritur de primo, qui operibus humanis respectu diuini iudicij illud cum magno Orbis detrimento adaptauit,doletque plurimum de continuato eius vsu etiam ab antiquis Ecclesiæ Scriptoribus. *Nam*, vt subiungit, *cum præfatum nomen sit fastuosissimum,nihil quam obscurare Dei gratiam & homines praua superbia imbuere potest*. Sed istius impudentissimi hominis arrogantiam ac temeritatem quis nõ videt, & quam ineptè obcæcatum passione se prodit. Et quoad primum,ipse loco citato hæc verba scribit. *Quorsũ enim obsecro opus fuit inuehi nomen Meriti cum pretio bonorum operum significanter alio nomine citra offendiculum explicari posset?* Hic ego Caluini discipulos in studijs semiexercitatos cõpello, vt censeant,quod nomen ad significãdum pretium bonorum operum excogitari potuisset, quod non plus aures Christianas offenderet,quam Meritum? Voluas & reuoluas quamdiu libuerit cuncta latina dictionaria, & quorumcunque Scriptorum volumina,aliudque nomen non posse inueniri comperies,quod conuenientius operibus bonis respectu vitæ ęternę,quę corona & merces propter opera reddẽda passim in Sacris literis assignatur,quam nomen prædictum queat adaptari.Nam ex consuetudine loquentium etiam pro vsu politico à sua rigorosa significatione adeo cecidit, quatenus sub ipso gratia & iustitia (vt clarissimè monstrauimus in præambula-

bularibus articulis) simul contemperari valeant, quod nulli alteri simplici vocabulo latino hactenus est permissum. Quapropter Caluinus, vel debebat omninò repudiare, nomen significans pretium bonorum operum; vel cum communi vsu totius Ecclesiæ antiquissimum nomen Meritum sustinere. Sed scirem libenter, cur ipse ex sua copiosa officina Ciceroniana Christianis Scriptoribus subsequentibus, vt Ecclesiæ vtilitati consuleret, eo quo pollebat fidei, candoris & synceritatis zelo, vnum aut alterum nomen congruentius ad rem ipsam exprimendam in suo testamento non legauerit.

Præterea videtur mihi, eandem contra Spiritum S. querelam instituere potuisse, qui toties in sacris literis nomē Merces replicat, quod pari ratione qua Meritum, delicatum ipsi' cerebrum turbare potuisset: nam cum Caluinus ex eo moueatur ad reprehendendum nomen prædictum eius, quia ei' significatū diuinæ gratiæ opponi existimat: significatum verò nominis Mercedis non minus diuinæ gratiæ aduersari contendat sequitur quod eadem querelæ causa ipsi Caluino de nomine Mercedis, quam meriti esse debuisset.

Non minus lepidum est, quod garrulus præfatus scholasticos Theologos arguat, quos Sophistas pestilentissimos, fanaticos, stultos, alijsque id genus epithetis, & probris cognominare & afficere non veretur, eo quod à vita æterna vt mercede operum, argumentantur ad opera, quod sint meritum vitæ æternę. Sed bone Deus, quanta huius hominis affectata caligo! nonne attestantibus omnibus Theologis ac Philosophis imo Grammaticis luce meridiana clarius est, nomē Merces, & Meritum, non esse nomina absoluta, vt est hoc nomen Homo vel Albus, sed nomina relatiua? Cum verò ab vno relatiuo ad aliud argumentari liceat v. g. à patre ad filium, à domino ad seruum, &c. quod tyronem Dialecticum nō latet, procul dubio à mercede ad suum correlatiuum, & à merito ad suum correlatiuum argumētari cuilibet licebit. Sed quia hactenus pro vtroque correlatiuo alia nomina excogitata non

funt quam prædicta, liquidò infertur, quod argumentum factũ ab Scolasticis tale videlicet, Vita æterna est merces bonorum operum: Ergò bona opera sunt meritum vitę æternę, ac vice versa sit validissimum, nullumq; nisi ignorantem terminos aut merè proteruum, negare posse eius illationem. Sed aduertè pie Lector, quod non obstante hac lucidissima veritate puerisque obuia, pollicetur Caluinus se probaturum nullam esse præfatam deductionẽ, quod fortè morte præuentus complere non potuit; est tamen verum, quod mirũ in modum se cruciet, vt probet vitam æternam, non esse mercedẽ operum, nec opera esse meritum vitę ęternę, sed dependentiã & necessariam connexionem à Sophistis (quos vocat) prætensam inter meritum & præmium, intactam absque vlla impugnatione reliquit.

Fateor, quod in c. 18. prædicti libri vbi præmemoratam illationem Caluinus repetit, cõatur illius nullitatem probare, sed in rei veritate simulat, ad propositum tamen deducendũ nunquam accedit, quin imo præfatam illationẽ per sua ibidẽ dicta implicitè admittere videtur. Nam concedit vitam ęternæ secundũ sacras literas, esse operum mercedem: ex quo manifestè colligitur, quod mens ipsius sit vitã æternã referri vt mercedẽ ad ipsa opera; & per consequens, opera esse correlatiuũ vitæ æternę vt mercedis. Cũ autẽ pro significando correlatiuo prædicto nullum assignauerit nomen Caluinus; sequitur euidenter, quod nedũ ineptè impugnat consequentiã Sophistarũ, verum potius tacitè & implicitè eius valorẽ approbat; vt autẽ quæ de prætacto autore refero eius dictis cõsentanea omnib. elucescant, hic verba ipsius, vt in textu iacent, inserere decreui & sequitur. *In his tantis angustijs, ne deficiãt, adest illis Dominus, qui monet vt altiùs caput exerant, & longius oculos conijciant, beatitudinẽ, quam in mundo non vident, apud se reperturos; hanc beatitudinẽ, præmiũ, mercedem, retributionẽ vocat, non operum æstimans meritũ, sed compensationem esse significans eorũ pressuris, passionibus, contumelijs, &c. Quamobrẽ nihil obest, quo minus vitã æternã remunerationem Scripturæ exemplo*

Li. 3. instit. c. 18. §. 4.

voce*mus*

vocemus, quod in ea Dominus suos ex laboribus in quietem, ex afflictione in prosperum & optabilē statum, ex mœstitia in gaudiū, ex paupertate in affluentiā, ex ignominia in gloriā recipiat, omnia deniq; quæ perpessi sūt mala, bonis maiorib⁹ permutet. Sic & nihil erit incōmodi, si vitæ sanctitatē existimemus esse viā: non quidem quæ aditū aperiat in gloriā cœlestis regni, sed qua electi à Deo suo in eius manifestationē ducantur, quādo hæc bona eius voluntas est, glorificare quos sanctificauit. Tantū ne correlationē meriti ac mercedis imaginemur, in quo importunè hærēt Sophistæ, quia istū, quē exponimus finē, nōn considerant. Quam autem præposterū est, vbi in vnū finē vocat nos Dominus, aliorsum respicere? Nihil clarius est, quā ad subleuandam aliquo solatio carnis nostræ debilitatē, non autē ad inflādos gloria animos, mercedem bonis operibus promitti. Qui ergò meritum operum inde colligit, vel appendit in trutina opus cum mercede, à recto Dei scopo longissimè aberrat.

Obserua quæso candide lector, in his Caluini dictis, an nugetur, an probet suum intentum, & vlterius vide proteruiam & diabolici hominis procacitatem. Cōfitetur enim secundū sacras literas, vitam æternā esse præmium, mercedē, retributionē operū, eorundemq; coronam ac remunerationē & cōpensationē; attamē non vult cōcedere, quod opera sint meritū, respectu vitę æternę. Certū. n. est, quod prædicta nomina, nēpe Merces & reliqua nō acceptātur ab ipso in rigore suę significationis, vt est clarissimū, quia subuerteretur gratia diuina: Restat igitur, quod temperata significatione à Caluino accipiantur. Quid igitur est in causa, nobis dicant Caluinisticę doctrinę professores, quare cū nomen Meritū, habeat quoq; temperatam & emolitam significationem, abhorreant ab illo aliàs consueto & vsitatissimo apud antiquos & modernos Ecclesię Scriptores? nunquid quia bona opera merentur vitam æternam, propterea sequitur, quod humani labores secundum se sumpti appendantur in trutina cum vita ęterna, vt Caluinus tanquā inconueniens deducere insinuat? non profectò, firmiter enim tenemus, quod nunquā reperietur æ-

tur ęqualitas ponderis inter vitam ęternam & bona opera secundum se sumpta; tamen si in eadem parte staterę adiungatur operibus diuina gratia, à qua procedunt, & habent valorẽ opera, in altera verò appensa vita æterna, nullum oritur incõmodum, quod inter opera bona vnà cũ diuina gratia, & vitã æternam æquiualentia & paritas concedatur, qualem futurã varijs testimonijs citatis clarè designat Spiritus S. Hinc quoque tibi innotescet pie Lector quam coactè nomina prætacta, quæ de vita æterna dicuntur, vt sunt Merces, Retributio, &c. Caluinus admittat: si enim potuisset illa ex sacræ Scripturæ Codice vt synceritate fidei Catholicæ consuluisset penitus delere & expungere, retentis tamẽ & amplexis illis, quibus ex gratia diuina vita æterna danda designatur, nullatenus eum prætermisisse dubites.

Tandem vt testimonijs sacræ Scripturæ finis imponatur, concludamus cum illis locis, in quibus Spiritus sancti vitam æternam retribui pro bonis operibus declarat, & ex varijs quę reperiuntur, pauca proferemus. Legitur enim 3. Reg. *Tu exaudies in cœlo, & facies, & indicabis seruos tuos, condemnans impiũ, & reddens viam suam super caput eius, iustificans q; iustum, & retribuens ei secundum iustitiam suam.* Hic locus absque ambagibus sententiam nostram, & breui oratione expresè manifestat, ac directè fundamentum oppositæ sententiæ elidit. Regius quoque vates ait. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Item Psalmista. *Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Præterea. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Nota licet in his autoritatibus non fiat expressa mentio de vita æterna retribuenda, ea tamen, quasi expresè in illis contenta reputari debet; quoniam vt benè hac in parte Caluinus quoque tenet) non est mens Spiritus S. promittere bene laborantibus aliud pręmium quam regnum cœleste; tum etiam quia cum in multis autoritatibus, in quibus de cõpensatione bonorum

Cap. 4. Psal. 17. Psal. 18. Psal. 118. Li. 3. Instit. c. 15. §. 4.

bonorum operum fit mentio, expreſsè vita æterna vt corona retributio, merces danda moremur; ſequitur quod hæc locū quibus Spiritus S. indefinitè loquitur, pari modo ſint intelligenda. Deinde Lucas Euang. eandē vitæ æternæ retributionē propter opera à nobis patrata deſcribit his verbis. *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; vicinos diuites, ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis cōuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur in reſurrectione mortuorum*. Denique Apoſtolus eidem ſententiæ ſuffragatur ad Theſ: *Ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei pro quo & patimini: Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu*. Apoſtolus his verbis intentum noſtrum perſpicuè ac euidentiſſimè profert. Dicit enim quod quod patiētes perſecutiones, ac tribulationes illas pro regno Dei patiuntur; hoc autem dictu eſt, quod patiantur pro regno Dei conſequēdo. Cùm verò poſtea Paulus ſubiungat, quod ſecundum Dei iuſtitiam ijſdem requies cum ipſis in reuelatione Domini Ieſu retribuetur, omni poſtpoſito dubio colligitur expreſsè & noſtrum intentum: nempè quod propter perſecutiones, tribulationes huius vitę, & ex conſequenti propter bona opera retribuetur æterna ſalus, nec non ex eodem fulcrum Aduerſæ ſententiæ, quæ merè ex miſericordia nulloque gradu admixto iuſtitiæ dari vitam æternam prætendit, funditus ſubuertitur.

Cap. 14.

Cap. 1.

Ex hac etiam enumeratarum autoritatum Sacrę Scripturę claſſe pro noſtra parte & concluſionis propoſitæ veritate pugnantium clariſſimè conſtat, quod illa ipſa, quam nos aſſignamus in noſtra concluſione ſit ſpiritus S. mens & non alia, tam claris & apertis totieſque citatis & repetitis verbis, vt

manifestioribus indicari nequeat. Sed quantumuis adeò perspicuè & dilucidè diuina autoritas nobis astipuletur & suffragetur; huius tamen tempestatis Hæretici hanc de valore bonorum operum veritatem aggredi, suisque detestandis commentis labefactare non verentur. Caluinus vt his secundæ classis autoritatibus, quarũ aliquot contra se in principio 16. capitis obiecit, satisfaceret, generalem quandem interpretationẽ vniuersis testimonijs citatis accommodãdam excogitauit; sed priusquam illam proponat, reiterat sententiam, qua tenet cõtra nos in puncto de valore bonorũ multoties ab ipso repetitam; quę sic habet. *Principio istud sancitum sit in cordib⁹ nostris, regnum cælorum non seruorum stipendium, sed filiorum esse hæreditatem: quã soli potientur, qui à Domino in filios cooptati fuerint: neq; aliam ob causam, quam ob hanc adoptionem*. Postea subiungit præfatam interpretationem.

Li. 3. Instit.

Sed antequam illam referam nota, si placet curiosè lector, quod Caluinus quandam speciem & colorem solutionis ad euadendas autoritates primæ classis adinuenit, quia enim vita æterna secundum ipsum datur à Deo propter fidem, dũtaxat, qua adoptamur in filios Dei: opera verò bona, iuxta eũdẽ necessariò fidem concomitentur, dixit ipse (vt supra monstrauimus(non esse mirum quod in sacris literis vita æterna propter bona opera danda designetur. Quapropter si vita æterna daretur secundum Caluinum vt merces vel retributio fidei, hanc solutionem potuisset applicare autoritatibus secundæ classis, quæ vitam æternam mercedem seu retributionẽ operũ esse exprimunt, dicẽdo quod quia fidem sequuntur opera bona necessario, & fidei merces est vita æterna vel retributio, non est mirum si vitam æternam operum bonorum mercedem vel retributionem esse indicent Sacri scriptores. Quoniã autem nullo modo fatetur Caluinus quod vita æterna detur vt merces fidei: quandoquidem eiusdemmet valoris reputat actum fidei secundum se sumptum, vel (vt eius verbis vtar) secundum

cūdum intrinſecam ſuam rationem captum cum cæteris humanis actibus; hoc autē fidei duntaxat tribuit, quod ſit inſtrumentum noſtræ iuſtificationis, vel vt alibi dicit, quod ſit veluti vas, in quo recipitur iuſtitia Christi, qua nobis imputata iuſtificamur & addicimur ad vitā æternā, proinde non potuit intrudere prædictā apparentem ſolutionem, vnde deſtitutus fuit omni auxilio diabolico, poſitusq; in extrema neceſſitate, & quaſi agonizando prorupit in infame quoddam gloſſema, quod ſequitur ad verbum. *Quia enim bonis operibus vult nos exerceri, ad meditādum eorū quæ promiſit exhibitionem, vel fruitionem, vt ita loquar, ac per ea decurrere, vt contendamus ad beatam ſpem nobis propoſitam in cælis, ritè & illis aſsignatur promiſsionum fructus, ad cuius maturitatem nos perducunt.* Item alio in loco: *Itaq; ne cogitemus Spiritum S. huiuſmodi promiſsione commendare operum noſtrorum dignitatem, ac ſi talem mercedem mereantur. Nihil enim nobis Scriptura reliquum facit, quo in conſpectu Dei exaltemur. Quin potius tota in hoc eſt, vt arrogātiam noſtram retundat, nos humiliet, deijciat & prorſus conterat. Verùm noſtræ imbecillitati ſic occurritur, quæ ſtatim alioqui collaberetur ac concideret, niſi hac ſe expectatione ſuſtineret ac ſolatio leniret ſua tædia. Primum quam durum ſit non modo ſua omnia, ſed ſe quoque ipſum relinquere & abnegare, reputent pro ſe quiſque ſinguli. Et tamen hoc tyrocinio diſcipulos ſuos, hoc eſt, pios omnes Chriſtus initiat.*

lib. 3. inſtit. ca. 14. §. 17. lib. eod. c. 11. §. 7.

lib. 3. inſtit. c. 18. §. 3.

§. 4.

Ex hiſce & alijs Caluini dictis, quæ prætereo, habemus liquidam execrabilem eius expoſitionem, nempè quod vita æterna à Spiritu S. dicatur bonorum operum merces, retributio vel aliud conſimile, quantumuis in rei veritate non ſit, vt hac promiſſione alliciat pios fideles ad bonorum operum exercitium, maximè tyrones, quos manuducit Deus hoc tyrocinio ad bona opera peragenda. Sed hæc expoſitio immediatè ipſam intuentibus imprimit ſpeciem falſitatis, & violenter excogitata ab homine proteruo deprehenditur introducta. Quod autem nullatenus cum Sacro textu ſtare poſſit, liquet

nis, ac sententię cõfirmationem ad secundæ classis Sacrarum literarum, ex plurimis quæ inueniuntur locis ex vtroque Testamento producenda aliquot, accedemus, quæ non minus perspicuè & euidenter, quam præteritę nostram intentam conclusionem demonstrant, vt nullo ductu aliquis veritatis cupidus pro ipsa percipienda indigeat, quorum locorum priora ex veteri testamento desumpta sunt. In Genesi Deus Abrahæ loquens ait. *Noli timere Abraham, ego protector*
Cap.15. *tuus, & merces tua magna nimis*. Et Ruth: *Reddet tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipies à Domino Deo*
Cap.2. *Israel*. Dicant nobis si placet, Aduersarij, an possint vlla verba, aut termini excogitari, qui sententiam nostram clarius exprimant: vel enim non sunt contenti probationibus ex sacris literis, ex quibus depromenda esse argumenta, ad fidei dogmata confirmanda proclamant ac semper vrgẽnt: vel nostræ sententiæ acquiescere debent. Item Salomon in prouerbijs. *Seminanti iustitiam merces fidelis*. Et
Cap.11. Cap.2. Sapiens. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum*
Cap.6. *est merces eorum*. Præterea Ecclesiastes. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Iam ex nouo testamento aliquas quoque autoritates producamus, & primo in Sanctis euangelijs ex Iesu Christi ore, contentas proferamus. Matth.
Cap.5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Præsens hic locus validissimus contra Aduersarios est, sed quia in colloquio nostro Francofurtensi satis discussus,
Cap.6. nunc supersedeo. Item ex eodem Euangelista. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum,*
Cap.6. *qui in cælis est*. Alius præterea Euangelista, nempe Lucas. *Benefacite & mutuum date nihil inde sperantes, & erit mer-*
Cap.4. *ces vestra, & eritis filij altissimi*. Item Ioannes. *Qui metet mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam*. Recensitis iam ex ore Saluatoris prolatis verbis, vnum vel alterum

rum

rum quoque locum ex Pauli officina depromptos offerimus, quæ æquè euidenter ac superiores nostram sententiam corroborant: Sic enim Apostolus inquit 1. Corinth. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: Dei enim adiutores sumus.* Si enim (vt Caluinus etiam tenet) nulla alia merces pro laboribus nostris à Deo repromittitur rependenda, quam æterna gloria, liquidam habemus in allata autoritate sententiam nostram, quę etiam ex verbis eiusdem Pauli proximè allegata sequentibus adeò dilucidè ac perspicuè deducitur, vt nulla Aduersarijs via euadendi pateat, quæ sic habent. *Vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: vnicuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* De duobus in præsenti autoritate mentio fit ab Apost. Vnum est fundamētum spiritualis ædificij. Alterum est illud quod prædicto fundamento superædificatur: Fundamentum dicitur esse Christus Iesus, seu (quod in idem recidit) fides in Christū: quod verò superædificatur sunt opera (vt clarè habetur in textu) Cum igitur Apost. subiungat, quod quisque recipiet mercedem pro opere quod probatū ab igne permanserit, euidentissimè sequitur, quod propter opus bonum detur gloria ęterna vt merces, non autem ille gradus æternę glorię, qui respondet fundamento prędicto, vt de se est notissimū, sed augmentum prædictę gloriæ, iuxta mensuram sc: operis quod permanserit. Nec, vt syncerè loquar imaginari queo, quo pacto à præsenti Apostoli autoritate tueri sese aduersarij nostri valeant. Quinimo illorum delirium, nempe omnia opera bona, quæ iustificatus operatur, fœtere coram Deo, & nihil

Cap. 3.

Eodem ca.

nisi

nisi irritare diuinam Maiestatem posse, quod est fundamentũ ipsorum sententię; subuertitur in præsenti loco à Paulo, dum aliqua opera nostra argento, auro, lapidibus pretiosis comparat. Denique aliud in Apocalypsi Ioannes testimoniũ pro nostro proposito subministrat. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera eius.*

Cap. vlt.

Antequam ad vlteriora progrediar, satis opportuna mihi oblata occasione non abs re fore duxi, si quandam Caluini querelam hic proponam & examinem. Ipse enim simulans sibi cordi profectum Christianæ Religionis esse, ægrè fert in Ecclesia Dei, nomen Meritum introductum, & ea qua solet grauitate conqueritur de primo, qui operibus humanis respectu diuini iudicij illud cum magno Orbis detrimento adaptauit, doletque plurimum de continuato eius vsu etiam ab antiquis Ecclesiæ Scriptoribus. *Nam,* vt subiungit, *cum præfatum nomen sit fastuosissimum, nihil quam obscurare Dei gratiam & homines praua superbia imbuere potest*. Sed istius impudentissimi hominis arrogantiam ac temeritatem quis nõ videt, & quam ineptè obcæcatum passione se prodit. Et quoad primum, ipse loco citato hæc verba scribit. *Quorsũ enim obsecro opus fuit inuehi nomen Meriti cum pretio bonorum operum significanter alio nomine citra offendiculum explicari posset?* Hic ego Caluini discipulos in studijs semiexercitatos cõpello, vt censeant, quod nomen ad significãdum pretium bonorum operum excogitari potuisset, quod non plus aures Christianas offenderet, quam Meritum? Voluas & reuoluas quamdiu libuerit cuncta latina dictionaria, & quorumcunque Scriptorum volumina, aliudque nomen non posse inueniri comperies, quod conuenientius operibus bonis respectu vitæ ęternę, quę corona & merces propter opera reddẽda passim in Sacris literis assignatur, quam nomen prædictum queat adaptari. Nam ex consuetudine loquentium etiam pro vsu politico à sua rigorosa significatione adeo cecidit, quatenus sub ipso gratia & iustitia (vt clarissimè monstrauimus in præambula-

bularibus articulis)simul contemperari valeant, quod nulli alteri simplici vocabulo latino hactenus est permissum. Quapropter Caluinus, vel debebat omninò repudiare, nomen significans pretium bonorum operum; vel cum communi vsu totius Ecclesiæ antiquissimum nomen Meritum sustinere. Sed scirem libenter, cur ipse ex sua copiosa officina Ciceroniana Christianis Scriptoribus subsequentibus, vt Ecclesiæ vtilitati consuleret, eo quo pollebat fidei, candoris & syncceritatis zelo, vnum aut alterum nomen congruentius ad rem ipsam exprimendam in suo testamento non legauerit.

Præterea videtur mihi, eandem contra Spiritum S. querelam instituere potuisse, qui toties in sacris literis nomē Merces replicat, quod pari ratione qua Meritum, delicatum ipsi' cerebrum turbare potuisset: nam cum Caluinus ex eo moueatur ad reprehendendum nomen prædictum eius, quia ei' significatū diuinæ gratiæ opponi existimat: significatum verò nominis Mercedis non minus diuinæ gratiæ aduersari contendat sequitur quod eadem querelæ causa ipsi Caluino de nomine Mercedis, quam meriti esse debuisset.

Non minus lepidum est, quod garrulus præfatus scholasticos Theologos arguat, quos Sophistas pestilentissimos, fanaticos, stultos, alijsque id genus epithetis, & probris cognominare & afficere non veretur, eo quod à vita æterna vt mercede operum, argumentantur ad opera, quod sint meritum vitæ æternę. Sed bone Deus, quanta huius hominis affectata caligo! nonne attestantibus omnibus Theologis ac Philosophis imo Grammaticis luce meridiana clarius est, nomē Merces, & Meritum, non esse nomina absoluta, vt est hoc nomen Homo vel Albus, sed nomina relatiua? Cum verò ab vno relatiuo ad aliud argumentari liceat v. g. à patre ad filium, à domino ad seruum, &c. quod tyronem Dialecticum nō latet, procul dubio à mercede ad suum correlatiuum, & à merito ad suum correlatiuum argumētari cuilibet licebit. Sed quia hactenus pro vtroque correlatiuo alia nomina excogitata non

sunt quam prædicta, liquidò infertur, quod argumentum factũ ab Scolasticis tale videlicet, Vita æterna est merces bonorum operum: Ergò bona opera sunt meritum vitę æternę, ac vice versa sit validissimum, nullumq; nisi ignorantem terminos aut merè proteruum, negare posse eius illationem. Sed aduertè pie Lector, quod non obstante hac lucidissima veritate puerisque obuia, pollicetur Caluinus se probaturum nullam esse præfatam deductionẽ, quod fortè morte præuentus complere non potuit; est tamen verum, quod mirũ in modum se cruciet, vt probet vitam æternam, non esse mercedẽ operum, nec opera esse meritum vitę ęternę, sed dependentiã & necessariam connexionem à Sophistis (quos vocat) prætensam inter meritum & præmium, intactam absque vlla impugnatione reliquit.

Fateor, quod in c. 18. prædicti libri vbi præmemoratam illationem Caluinus repetit, cõatur illius nullitatem probare, sed in rei veritate simulat, ad propositum tamen deducendũ nunquam accedit, quin imo præfatam illationẽ per sua ibidẽ dicta implicitè admittere videtur. Nam concedit vitam ęternæ secundũ sacras literas, esse operum mercedem: ex quo manifestè colligitur, quod mens ipsius sit vitã æternã referri vt mercedẽ ad ipsa opera; & per consequens, opera esse correlatiuũ vitæ æternę vt mercedis. Cũ autẽ pro significando correlatiuo prædicto nullum assignauerit nomen Caluinus; sequitur euidenter, quod nedũ ineptè impugnat consequentiã Sophistarũ, verum potius tacitè & implicitè eius valorẽ approbat; vt autẽ quæ de prætacto autore refero eius dictis cõsentanea omnib. elucescant, hic verba ipsius, vt in textu iacent, inserere decreui & sequitur. *In his tantis angustijs, ne deficiãt, adest illis Dominus, qui monet vt altiùs caput exerant, & longius oculos conijciant, beatitudinẽ, quam in mundo non vident, apud se reperturos; hanc beatitudinẽ, præmiũ, mercedem, retributionẽ vocat, non operum æstimans meritũ, sed compensationem esse significans eorũ pressuris, passionibus, contumelijs, &c. Quamobrẽ nihil obest, quo minus vitã æternã remunerationem Scripturæ exemplo*

Li. 3. instit. c. 18. §. 4.

vocemus

vocemus, quod in ea Dominus suos ex laboribus in quietem, ex afflictione in prosperum & optabilē statum, ex mœstitia in gaudiū, ex paupertate in affluentiā, ex ignominia in gloriā recipiat, omnia deniq; quæ perpessi sūt mala, bonis maiorib⁹ permutet. Sic & nihil erit incōmodi, si vitæ sanctitatē existimemus esse viā: non quidem quæ aditū aperiat in gloriā cœlestis regni, sed qua electi à Deo suo in eius manifestationē ducantur, quādo hæc bona eius voluntas est, glorificare quos sanctificauit. Tantū ne correlationē meriti ac mercedis imaginemur, in quo importunè hærēt Sophistæ, quia istū, quē exponimus finē, nōn considerant. Quam autem præposterū est, vbi in vnū finē vocat nos Dominus, altorsum respicere? Nihil clarius est, quā ad subleuandam aliquo solatio carnis nostræ debilitatē, non autē ad inflādos gloria animos, mercedem bonis operibus promitti. Qui ergò meritum operum inde colligit, vel appendit in trutina opus cum mercede, à recto Dei scopo longissimè aberrat.

Obserua quæso candide lector, in his Caluini dictis, an nugetur, an probet suum intentum, & vlterius vide proteruiam & diabolici hominis procacitatem. Cōfitetur enim secundū sacras literas, vitam æternā esse præmium, mercedē, retributionē operū, eorundemq; coronam ac remunerationē & cōpensationē; attamē non vult cōcedere, quod opera sint meritū, respectu vitę æternę. Certū. n. est, quod prædicta nomina, nēpe Merces & reliqua nō acceptātur ab ipso in rigore suę significationis, vt est clarissimū, quia subuerteretur gratia diuina: Restat igitur, quod temperata significatione à Caluino accipiantur. Quid igitur est in causa, nobis dicant Caluinisticę doctrinę professores, quare cū nomen Meritū, habeat quoq; temperatam & emolitam significationem, abhorreant ab illo aliàs consueto & vsitatissimo apud antiquos & modernos Ecclesię Scriptores? nunquid quia bona opera merentur vitam æternam, propterea sequitur, quod humani labores secundum re sumpti appendantur in trutina cum vita ęterna, vt Caluinus tanquā inconueniens deducere insinuat? non profectò, firmiter enim tenemus, quod nunquā reperietur æ-

tur ęqualitas ponderis inter vitam ęternam & bona opera secundum se sumpta; tamen si in eadem parte stateræ adiungatur operibus diuina gratia,à qua procedunt, & habent valorē opera,in altera verò appensa vita æterna, nullum oritur incōmodum, quod inter opera bona vnà cū diuina gratia, & vitā æternam æquiualentia & paritas concedatur,qualem futurā varijs testimonijs citatis clarè designat Spiritus S. Hinc quoque tibi innotescet pie Lector quam coactè nomina prætacta,quæ de vita æterna dicuntur, vt sunt Merces, Retributio,&c.Caluinus admittat: si enim potuisset illa ex sacræ Scripturæ Codice vt synceritate fidei Catholicæ consuluisset penitus delere & expungere,retentis tamē & amplexis illis, quibus ex gratia diuina vita æterna danda designatur,nullatenus eum prætermisisse dubites.

Tandem vt testimonijs sacræ Scripturæ finis imponatur, concludamus cum illis locis,in quibus Spiritus sancti vitam æternam retribui pro bonis operibus declarat,& ex varijs quę reperiuntur,pauca proferemus. Legitur enim 3.Reg. *Tu exaudies in cœlo,& facies,& iudicabis seruos tuos, condemnans impiū, & reddens viam suam super caput eius,iustificans q; iustum,& retribuens ei secundum iustitiam suam.* Hic locus absque ambagibus sententiam nostram, & breui oratione expresśe manifestat,ac directè fundamentum oppositæ sententiæ elidit. Regius quoque vates ait. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Item Psalmista. *Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Præterea. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Nota licet in his autoritatibus non fiat expressa mentio de vita æterna retribuenda,ea tamen, quasi expresśe in illis contenta reputari debet; quoniam vt benè hac in parte Caluinus quoque tenet)non est mens Spiritus S.promittere bene laborantibus aliud pręmium quam regnum cœleste; tum etiam quia cum in multis autoritatibus, in quibus de cōpensatione bonorum

Margin notes: Cap. 4. — Psal. 17. — Psal. 18. — Psal. 118. — Li. 3. Instit. c. 15. §. 4.

Digitized by Google

bonorum operum fit mentio, expreſsè vita æterna vt corona retributio, merces danda moremur; ſequitur quod hæc locũ quibus Spiritus S. indefinitè loquitur, pari modo ſint intelligenda. Deinde Lucas Euang. eandẽ vitæ æternæ retributionẽ propter opera à nobis patrata deſcribit his verbis. *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos, neq; vicinos diuites, ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis cõuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur in reſurrectione mortuorum.* Denique Apoſtolus eidem ſententiæ ſuffragatur ad Theſ: *Ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei pro quo & patimini: Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu.* Apoſtolus his verbis intentum noſtrum perſpicuè ac euidentiſſimè profert. Dicit enim quod quod patiẽtes perſecutiones, ac tribulationes illas pro regno Dei patiuntur; hoc autem dictu eſt, quod patiantur pro regno Dei conſequẽdo. Cùm verò poſtea Paulus ſubiungat, quod ſecundum Dei iuſtitiam iiſdem requies cum ipſis in reuelatione Domini Ieſu retribuetur, omni poſtpoſito dubio colligitur expreſsè & noſtrum intentum: nempè quod propter perſecutiones, tribulationes huius vitę, & ex conſequenti propter bona opera retribuetur æterna ſalus, nec non ex eodem fulcrum Aduerſæ ſententiæ, quæ merè ex miſericordia nulloque gradu admixto iuſtitiæ dari vitam æternam prætendit, funditus ſubuertitur.

Cap. 14.

Cap. 1.

Ex hac etiam enumeratarum autoritatum Sacrę Scripturę claſſe pro noſtra parte & concluſionis propoſitæ veritate pugnantium clariſſimè conſtat, quod illa ipſa, quam nos aſſignamus in noſtra concluſione ſit ſpiritus S. mens & non alia, tam claris & apertis totieſque citatis & repetitis verbis, vt

Digitized by Google

cūdum intrinſecam ſuam rationem captum cum cæteris humanis actibus;hoc autē fidei duntaxat tribuit,quod ſit inſtrumentum noſtræ iuſtificationis, vel vt alibi dicit, quod ſit veluti vas,in quo recipitur iuſtitia Chriſti, qua nobis imputata iuſtificamur & addicimur ad vitā æternā,proinde non potuit intrudere prædictā apparentem ſolutionem, vnde deſtitutus fuit omni auxilio diabolico, poſitusq; in extrema neceſſitate, & quaſi agonizando prorupit in infame quoddam gloſſema, quod ſequitur ad verbum. *Quia enim bonis operibus vult nos exerceri,ad meditādum eorū quæ promiſit exhibitionem, vel fruitionem,vt ita loquar, ac per ea decurrere, vt contendamus ad beatam ſpem nobis propoſitam in cælis, ritè & illis aſsignatur promiſsionum fructus, ad cuius maturitatem nos perducunt.* Item alio in loco: *Itaq; ne cogitemus Spiritum S. huiuſmodi promiſsione commendare operum noſtrorum dignitatem, ac ſi talem mercedem mereantur. Nihil enim nobis Scriptura reliquum facit, quo in conſpectu Dei exaltemur. Quin potius tota in hoc eſt, vt arrogātiam noſtram retundat, nos humiliet, deijciat & prorſus conterat. Verùm noſtræ imbecillitati ſic occurritur, quæ ſtatim alioqui collaberetur ac concideret, niſi hac ſe expectatione ſuſtineret ac ſolatio leniret ſuà tædia. Primum quam durum ſit non modo ſua omnia, ſed ſe quoque ipſum relinquere & abnegare, reputent pro ſe quiſque ſinguli. Et tamen hoc tyrocinio diſcipulos ſuos, hoc eſt, pios omnes Chriſtus initiat.*

lib.3. inſtit. ca.14.§.17. lib.eod. c.11. §.7.

lib.3.inſtit. c.18.§.3.

§.4.

Ex hiſce & alijs Caluini dictis, quæ prætereo, habemus liquidam execrabilem eius expoſitionem, nempè quod vita æterna à Spiritu S. dicatur bonorum operum merces, retributio vel aliud conſimile, quantumuis in rei veritate non ſit, vt hac promiſſione alliciat pios fideles ad bonorum operum exercitium, maximè tyrones, quos manuducit Deus hoc tyrocinio ad bona opera peragenda. Sed hæc expoſitio immediatè ipſam intuentibus imprimit ſpeciem falſitatis, & violenter excogitata ab homine proteruo deprehenditur introducta. Quod autem nullatenus cum Sacro textu ſtare poſſit, liquet ex

& primo ex autoritatibus allegatis supra, quarum multę clarè & lucidissimè demonstrant mentem spiritus S. illam esse, quā ibidem deduximus. Secundò quia si propria ratio mendacij in eo consistat, quod aliquis secus se habeat in verbis vel scriptis, quam mente concipiat, euidenter sequitur, quod si Spiritus S. tyronibus fidelibus proponat vitam esse operum mercedem, in rei autem veritate res non sic se habeat, mendacium proferat, quod dicere manifesta blasphemia est. Neque suffragatur, si quis respondeat præfatum mendacium cedere in vtilitatem Ecclesiæ, & proinde non esse quid malum: hoc in quam, parum iuuat, quia cum mendacium sit ex communi sententia secundum se prauum, nullatenus vllius boni prætextu ex illo resultantis potest excusari.

Præterea ex auctoritatibus à nobis productis quędam designant pro bonis operibus ęternam gloriam absolutè dādam: in quibusdam verò maior glorię gradus pro operibus bonis retribundus repromittitur, quales sunt omnes illę, quę cōmensurationem & adęquationem ęternę glorię cum bonis operibus futuram declarant. Licet autem Caluinus primas autoritates posset tergiuersari dicendo, quod nullatenus per illos à Deo decipiantur, nec defraudentur homines, quandoquidem vitam ęternam quam sperant realiter tandem etsi nō propter opera obtinebūt, tamē nullo modo nec via stāte sua glossa Caluinus excusare potest Deū, quin in autoritatibus secūdi generis decipiat, frustret ac defraudet homines, illos scilicet, qui incitati & allecti à maiori oblato pręmio in excellētiora & plura opera in pręsenti seculo proruperunt, quod postea in sequenti non obtinebunt.

Amplius rogo an Deus plus habeat de æterna beatitudine, vt plus vni quam alteri elargiri possit, si voluerit? id si negas, malè respōdes; tū quia coarctas Dei diuitias: tum ex eo patet, quia vita æterna in Dei possessione consistit, Deum aūt quia spiritualis res est, possidere non valemus, nisi actu intellectus vel volūtatis, vt de se est notū, & in præambularibus articulis monstra-

monstratum est. Cum autem actus diuini intellectus & voluntatis infiniti sint, quia scilicet intelligere & velle diuinum est ipsummet esse Dei: actus verò intellectus & voluntatis humanæ, qua homo Deum intelligit ac vult, quia sunt accidentia naturæ humanę superaddita, sint finiti & limitati; sequitur quod sola diuina beatitudo consistat in indiuisibili, sed hominis beatitudo in vno perfectior quam in altero esse queat, secundum quod Deus vnicuique intellectui vel voluntati vires concedit. Restat ergò, quod possibile Deo sit, dare maiorem beatitudinem siue æternę vitę gradum vni homini quam alteri. Cum igitur ex tot Sacræ Scripturæ testimonijs vtriusque classis citatis liquidissimè absque ambagibus habeatur, quod maiorem gradum gloriæ æternæ vnus homo quam alter reportabit, secundum quod operatus fuerit, cuperem scire, vnde magis Caluino constat Spiritum sanctum per illas non intendere, maiorem gloriam dare vni quam alteri, quam quod sic. Et quia nulla ratio assignari ab ipso potest; nullius igitur est fundamenti glossa, quam ipse adhibet prædictis autoritatibus. Sed respõdebitur pro Caluino bona opera hominis esse iniusta, infecta & peccata, & alia id genus, & quibusdam autoritatibus sacræ Scripturæ doceri potest: verũ ego prædictis autoritatibus innumera alia diuina testimonia patentissima in sacris literis oppono, quæ asserunt bona opera hominum esse iusta, digna & accepta Deo, peto quare magis Caluinus adhæret paucis, & quæ piam ac facilem patiuntur expositionem, vt subuertat valorem operum pro vitę æternę consecutione, quam innumeris alijs, quæ in fauorẽ operum clarissimè astipulantur, eorumque valorem testantur? Sed de hoc inferius ex professo agemus, & primam Hæreticorum huius tempestatis hallucinationem monstrabimus.

Insuper quis non videt egregium istum verbi diuini Expositorem & præclarum eius ingenium iusto Dei iudicio tam inopinatè & inaduertenter, sed pulchrè deceptum? Expositio

enim ipsius quam autoritatibus secundæ classis adaptare conatur in eo consistit, quod volens nos Deus allicere ad bona opera exercenda, maximè tyrones fideles, pollicetur reddere mercedem pro operibus: indubitatum autem est quod prædicta promissione non poterat Deus inducere tyrones fideles ad exercitium bonorum operum, nisi certo illi se recepturos vitam æternam, eo modo, quo Deus pollicetur, nempè, vt bonorum operum mercedẽ sibi persuasum haberent. Cũ igitur idem Caluinus suis latinis & vulgaribus institutionibus instruat ac doceat omnes indiscriminatim, non dari vitã æternam propter bona opera, & hoc idẽ incessanter prędictę sectæ ministri publicè prædicant, imò illud in quo pręcipuè libertatẽ Christianã sitam esse & ab omnibus præ oculis habendã blaterant: Caluinus cum suis est, vt nulla operũ ratio pro consecutione vitæ æternę, sed solius fidei in Christum Redemp. nostrum habeatur, hocque primum ac principale præceptũ, per quod manuducuntur tyrones Caluinianę sectæ. Sequitur manifestissimè, quod vnicuiq; quantũuis tyroni per Caluinũ & suos innotescat, Spiritũ S. non daturum in rei veritate vitã æternã propter bona opera, quãtumuis se facturũ polliceatur, Ergo quos instruere Sp. S. prętendit, Caluinus destruit, & tyrociniũ Caluini è diametro (nisi me visus fallat) cũ tyrocinio Spiritus S. pugnat, illudq; sine dubio subuertit. Tandem non minus fortè & validum argumentũ contra expositionem allatam, quam contra expositorem iã proposuerimus, ex eodem capite resultat, per quod omnes sacras autoritates in fauorem nostræ conclusionis facientes efficaciter stabiliuntur ac roborantur, quod sequitur.

Quicunq; animo alliciendi aliquẽ ad opera facienda promittit, ille quicquã dare in retributionẽ vel mercedem suorũ operum, non tamen intendit illi dare quod promisit propter opera quæ fecerit, vult vt eius intẽtio lateat illũ cui promisit.

Sed Deus in promissionibus Sacræ Scripturæ, quibus animo alliciendi homines ad bona opera patranda ipsis promittit dare vitã æternã vt mercedem bonorũ operum, quæ fecerint,

non vult vt eius intentio lateat illos,quibus promisit.

Ergo Deus in promissionibus S.Scripturę,in quibus animo alliciendi homines ad bona opera faciēda promittit se daturum vitã æternã,vt retributionem,vel mercedē bonorum operum quæ fecerint,non intendit non dare hominibus propter bona opera vitã æternam vt mercedem & retributionē. Igitur intentio Dei in prædictis promissionibus est, dare vitã æternam hominibus propter opera bona quæ fecerint;& sic glossa à Caluino adhibita nihil valet,nostraque conclusio restat solidissimè confirmata per prædictas citatas autoritates.

Hic syllogismus prolixus est, vt fateor, sed quia intentū euidenter deducit, nolui vllum illius terminū suppressum & implicatum: cũ vt deductio veritatis omnibus innotesceret: tũ etiã vt clarius respondere possint Aduersarij nostri in forma debita syllogistica. Et quantum ad primũ nota, quod hoc argumentum est generale ad oēs autoritates sacræ Scripturę tã primæ vel secundæ classis roborandas. Nam ex quo clarissimè constat, nec aduersarij nostri nobis hoc negabunt, nimirũ in illis testimonijs S.Scripturæ, in quibus repromittitur vita ęterna dãda pro operibus, intentionē Spiritus S. esse, allicere nos per oblatam promissionem vitæ æternę ad bona opera patranda, exercitiumq; & frequentiã illorũ, non est dubium quin per prędicto argumento probetur euidenter contra Aduersarios, quod Spiritus S. intētio in autoritatibus primę classis, quę continēt promissiones vitæ æternæ propter opera bona in generalibus terminis, sit in rei veritate vitã æternã dare propter bona opera, cuius oppositũ Caluinus toties in suis Instit. replicat,& sui mordicus tuētur dicentes, nullã operũ rationē habendã esse pro æterna salute adipiscēda, sed soli⁹ fidei in Christũ;& pariter concluditur, in particulari iuxta 2.classis autoritates, quod vita ęterna detur vt corona, merces, retributio operũ nostrorũ. Restat modo, vt propositi syllog. valorē examinemus: de cuius 2. consequentia nulla est dubitatio. Pręterea ipsius forma est aperta in 4o. scilicet modo

secun-

secundę figuræ syllogisticæ, nec eius maior indiget probatione, quãdoquidem ex terminis quasi ipsius veritas innotescat. Constitutissimum enim est, quod nunquam allectus quispiã promissione ad faciendum aliquid, faceret illud, nisi saltem præsumat se obtenturum propter opus quod fecerit, illud quod ei promittitur. Vnde sequitur, quod stulta illius promissio esset, qui promitteret mercedem propter opus, non tamen propter opus intendens illam dare, atque nollet quod sua intentio illum cui promittit, lateret.

Minor Syllogismi constat tum ex Caluino & Caluinistis, qui suo facto illam probant: Ex quo enim declarant scriptis latinis & vulgatis, & palam concionando omnibus, quibus Deus promisit dare vitam ęternam propter opera, patefaciũt: quod intentio Dei non sit dare illam propter opera, sed propter solam fidem, quinimo vt nullam habeant operum rationem pro salute æterna consequenda omnes monent & vrgent; neque Caluinus aut sui fateri audebunt, suum modum aperiendi & explicandi publicè Euangelium esse contra Dei voluntatem, restat per ipsos minor probãda vera, tum etiam ex eo liquet quia Dei voluntas est, vt quæ concernunt sacræ Scripturæ fidem & mores generales, omnibus inferioribus per superiores & proceriores innotescat. Ridiculũ enim esset asserere dato quod sententia Caluiniana in puncto de operibus esset vera, quod Doctor aliquis vel minister deberet dicere tenello alicui fideli & tyroni pio, exerce te in bonis operibus, quoniam propter illa dabit tibi Deus mercedem vitam ęternam, vel retributionem aut aliquid simile, item quanto plura perfeceris bona opera, tanto maius æternę gloriæ præmium reportabis; & prouectioribus fidelibus deberet suadere vt patrarent bona opera, non propter vitam æternam assequendam, sed propter imitationem Christi Redemptoris, vel aliquid consimile inductiuum, esset enim necessum & quod Institutiones Caluini essent Græcè aut Hebraicè scriptæ, vt ex illis eligerent ministri linguarum peritioresque cuilibet fideli

fideli iuxta eius capacitatem documenta essent accommodata; vel pariter necessarium esset, vt in diuersis Ecclesijs vel scholis fideles instruerentur & catechizarentur. Hactenus de argumentis ab autoritate Sacræ Scripturæ in confirmationē nostræ conclusionis dicta sufficiant.

Iam igitur expendat Lector semoto quocunque animi affectu, sed veritatis inspiciendæ solicitus, an possit aliqua propositio firmius ex sacris literis stabiliri, quam hæc nostra de valore operum conclusio, quam tot testimonijs adeò perspicuis comprobauimus, ac rationibus consolidauimus, & sic veritate percepta comperiet, si moderni Hæretici qui alios docent, non aliundè desumenda esse argumenta ad Catholica dogmata confirmanda, præterquam ex Sacris literis (vt & nostri Collocutores in exordio disputationis nostræ à me instanter efflagitarunt) tot patentissimis autoritatibus iā positis non acquiescant, seu (vt verius dicam) eisdem conuictos esse fateri renuant, illos ad arguendum & disputandum contra ipsos viam nobis occludere & obstruere. Certum est & absque vlla controuersia, si plurimæ autoritates à nobis citatæ pro conclusione in sensu proprio (id est in eo sensu, ad quē primò significandum verba sunt imposita) recipiantur, euidentissimè & in terminis proprijs vt dicunt, nostram propositam conclusionem comprobare. Quod si quæcunque à nobis proposita testimonia Aduersarij exponunt & interpretantur, trahentes verba à proprietate sermonis ad metaphoras, aliasque improprias locutiones, nullumque in sensu proprio recipientes: Deducitur liquidò, nullam nobis restare viam ad arguendum, ex scripturis sacris contra ipsos, quorsum igitur semper ad probandum ex sacris literis insurgunt, & nihil pręter verbum Dei scriptum effutiunt & clamitant? nunquid potest aliqua conclusio melius quam copioso autoritatum numero, quæ propriè acceptæ intentum clarissimè exprimūt confirmari? Ineptum planè esset si aliquis Aduersarius à me peteret probationem sententię alicuius argumento ab auto-

ritate desumpto, si tot quot producere ego possem in propriis terminis conclusionem meam continentes autoritates ipse Aduersarius semper glossare, & à proprio sensu ad impropriũ detorquere in animum induxerit.

Sed vlterius pergamus argumento nostro desumpto ab autoritate Sacræ Scripturæ sigillum imponamus demonstrantes à nostris Aduersarijs præfatas autoritates vtriusque classis pro nostra conclusione allatas à sensu proprio ad metaphoras & improprias locutiones immeritò ac ineptè trahi, quæ est prima illorum hallucinatio in Sacris literis & capitalis error, fons & origo cæterorum, sed potius eos cõpelli ad illas in sensu proprio absq; vlla adhibita expositione amplectendas, vt sequens argumentum generale ostendit.

Omnis autentica Scriptura est recipienda in sensu proprio nisi in casu, quo ex illius sensu proprio oriatur aliquod incõueniens.

Sed si autoritates Sacræ Scripturæ, quas in conformationẽ nostrę conclusionis in puncto scilicet de Valore operum bonorum adduximus, recipiãtur in sensu proprio nullum nascitur inconueniens.

Ergo prædictæ autoritates sunt recipiendæ in sensu proprio: & per consequens indebitè & absque vlla causa illis glossa aliqua adhibetur à nostris Aduersarijs.

Syllogismi præsentis forma est dilucida, eiusque præmissæ sunt expendendæ; & si maiorẽ & minorẽ veram esse demonstratum fuerit, non est dubium, quin Aduersarij nostri causa omninò ceciderint. Et quãtum attinet ad maiorem, liquidò constat, non ex Scripturis eius probationem petendam esse, quia eademmet autoritas, per quam tentaremus illam probare, reuocari quoq; posset in dubiũ, an in sensu proprio, vel improprio recipienda. Recurrendũ igitur est ad lumen naturæ, per quod adeò euidenter ex per se notis deducitur vt puerile iudicẽ pro ipsa syllogismum formare. Ad minorẽ igitur in qua est tota difficultas, accedamus, quæ sic probatur: Vel prædi-

prædictum inconueniens pertinet ad lumen naturę vel ad lumen fidei sed neutrum dici poteſt ergò minor probanda vera. quod autem non ad lumen naturæ patet, quia aliud incōueniens aſſignari non poſſet præterquā illud factum ſupra in præambularibus articulis nimirū quod creatura ſuum creatorē mereri: ſed loquendo de tēperato merito clarè mōſtrauimus in loco allegato nullū eſſe inconueniēs, creaturā mereri apud Deū vitam ęternā: tum etiam dato, & non conceſſo quod creaturā mereri apud Deum eſſet inconueniens parum id obeſſet ſenſui proprio noſtrarum vtriuſq; claſſis autoritatum, nam (vt in primis inſinuauimus) ex alio capite omnes illæ, iuxta earum ſenſum proprium valorem bonorum operū pro conſecutione vitæ æternę indicant, nimirum ex vi pacti initi inter Deum & hominē, ex quo nullum deduci poteſt lumini naturæ incommodum repugnās. Sequitur igitur quod ſi aliquot inconueniens naſcatur, illud pertineat ad lumen fidei; quoniam autem Aduerſarij noſtri aliud verbum Dei fide non recipiunt præter ſcriptum, opus eſt, vt dictū inconueniēs oſtendant in Sacris literis. Debent itaq; aſſerere in S. Scriptura eſſe loca aliqua, quorum proprius ſenſus ab autoritatibus pro noſtra ſententia citatis, ſi propriè intelligantur, manifeſtè ſubuertatur, atque idcircò eſſe piè exponendas. Sed quæ ſint talia loca, quæ pro Aduerſarijs adduci poſſunt, expendendum eſt diligenter; quod ſi aliqua inueniantur in tali caſu iuxta metas rectę rationis à prudenti viro debet fieri examen inter autoritates noſtras ac illorum, quæ ſcilicet illarum numero & claritate ſententię alijs præponderent, pariterque attendendum eſt. quænam magis concordent ſecundum ſenſū proprium cum lumine naturæ; nec non gloſſę vtriuſq; partis, litigandis quę obiectis viciſſim autoritatibus adhiberi ſolēt, liberandæ veniunt.

Hac expediebat vt Caluinus ſepoſita tanta verborum copia, totque concionibus, quibus chartas impertinenter farſit, pauca de hoc puncto tetigiſſet, quæ eſt clauis ad aperiendas

 verita-

veritates dubias in codice nostræ salutis pro illis, qui sensu vniuersalis Ecclesiæ subijcere se dedignantur, atque hoc præsertim cum adeò bonam nactus esset occasionem à seipso datam lib.3.Instit.cap.15.vbi sic scribit. *Tametsi enim dicit Christus habenti datum iri, & super multa constitutum iri fidelem ac probum seruum, qui in paruis se fidelem gesserit: simul tamen alibi ostendit incrementa fidelium esse gratuitæ bonitatis suæ munera. Omnes, inquit, sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, venite, emite absque argento, & absque commutatione vinum & lac.*

§. 4. Mat. 25. & 29.c.4. Isai. cap. 55.

Ecce ponit antithesin autoritatum, & sepositis nostris, cōcludit ex illis quæ faciunt pro ipso, suam conclusionem intentam. Sed rogo, quare pro se deducit? nunquid contradictoria conclusio prædictę suę, non sequitur ex nostris prius ab illo allegatis ibidē, quam & ipse etiā insinuat? Ineptè igitur manu ducit & dirigit lectorem ad conclusionem, cuius oppositam etiam pueri inferri possunt. Alium errorem, patentem in Caluino nota tu, qui illum vt Reformatorem Euangelicę doctrinę veneraris, quem committit tantus Doctor. Fatetur enim prædictas autoritates ab ipso pro nobis allegatas loqui de incremento beneficiorum Dei (vt reuera res se habet) attamen volens postea nostræ conclusioni, quæ ex illis infertur, se opponere, infert pro se quod incremēta fidelium sint gratuitę diuinę benignitatis munera, ex loco Isaię scilicet. *Omnes, inquit, sitientes venite ad aquas,* &c. Vnde amabo deducitur ex dicta autoriate conclusio de incremēto glorię? nā dato quod in ea loquitur de ęterna gloria, nonne quisque facilè potest interpretari iuxta planum textum de primo gradu glorię, cui homo addicitur ex vi iustificationis, qui debetur iustificato titulo hęreditario filiorum Dei? & si Spiritus S. ibidem loquatur de donis spiritualibus, quę recipiunt in hac vita homines à Deo, prędicta interpretatio absque textus lęsione adhiberi potest, imo loqui videtur prężata autoritas de illis solum, qui necdum saluti ęternę addicti sunt. Rude igitur ponitur augmentum

mentum in conſequenti, de quo nulla ſit mentio in antecedente. Profectò cum primò paſſum hunc in Caluini libro obſeruaui & perſpexi, quod concluſione poſita de augmento, quam poterat inferre pro nobis, maluit inferre dubiam, imò vt ego exiſtimo nullatenus intentā à Spiritu S. ſtupefactus fui deſimulata caligine & patenti nequitia huius hominis, ſicut ex multis ipſius dictis ingenium quo ſuo ſeculo pręfulſit equidem, miror. Concludamus igitur, quod vt prudenter in re adeò graui, ex qua pendet ęterna noſtra felicitas, vel perpetua miſeria & afflictio, procedatur, electio autoritatū Sacrę Scripturę diſcretione præuia fieri debet, vel capiti vniuerſalis Eccleſię ſe ſubijciendum, quod præſtaret: ſecus enim faciens ipſo facto aut infirmi cerebri vel obnubilatum penitus & obcęcatum paſſione ſe prodit.

Vt igitur ad propoſitum inſtitutū veniamus, recolenda à viris doctis trita & vulgata doctrina, quæ licet exigui momēti videatur, non tamen deſpicienda (non enim ſunt negligenda minora, quibus pro maioribus manifeſtandis indigemus; nimirum quatuor eſſe oppoſitionum ſpecies, videlicet Oppoſitionum contradictoriam, Priuatiuam, Contrariam & Relatiuā; ex quibus vltima, nempe Relatiua ſepoſita, eo quod noſtro inſtituto inhabilis plane ſit, & nullatenus deſeruiat, tres reliquas percurramus. Prima, quę eſt oppoſitio contradictoria, Aduerſarios parum iuuat, quia vix inuenientur ſacræ Scripturæ autoritates illis, quæ de valore bonorum operum ad vitam æternam pro nobis faciunt, contradictoriè oppoſitæ: nullibi enim inuenietur, vbi exprimatur in terminis, vitā æternam non dari propter bona opera. Item neque producēt aliquem locum in quo habeatur vitam æternam non dari vt mercedem, aut coronam vel retributionem &c. quarum omnium propoſitionum contradictorias plurimas pro nobis citauimus, & multæ aliæ, à quocunque ſi reuoluat Sacra volumina videri poſſunt: quod verò dicitur ad Rom. *Exiſtimo quod non ſunt condigna paſsiones huius temporis ad futuram glo-* *Cap. 8.*

 riam.

riam, contradicere videtur nostris propositionibus, non tamẽ omnibus, sed illis duntaxat, quę vitæ æternę meritum concernunt; nec illis quoque propriè loquendo contradicere inferius monstrabimus. De priuatiua oppositione non est quod simus solliciti, dum nullam (vt reor) assignabunt Aduersarij in Sacra Scriptura contentam propositionem, quibuscunque terminis excogitari voluerint, quę priuatiuè locis pro nobis allegatis opponatur. Vna ergo remanet tantum oppositio contraria examinanda, quæ sola Aduersarijs fauere potest, vt realiter fauet, prodest & inseruit. Pro qua aduertẽdum quod duobus modis aliquæ propositiones S. Scripturæ in sensu proprio, inuicem contrariantur. Vno modo immediatè & directè, vt v.g. in scriptura habetur hæc. Christus est leo, iuxta illud
Cap.5. Apoc. *Vicit leo de tribu Iuda*. Habetur quoque hæc altera, Christus est homo, quæ duæ secundum sensum proprium acceptæ directè & immediatè opponuntur; quandoquidem per seipsas vna aliam subuertit. Altera verò inter propositiones Sacræ Scripturæ contrarias reperitur mediata & indirecta vt v.g. in Sacris literis continetur, quod Deum pœniteat, se-
Cap.6. cundum illud Gen. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra*, quæ contrariatur huic, Deus est creator, si ambę in sensu proprio recipiantur, sed mediata & indirecta contrarietate. Nam cum propriè pœnitere includat defectum, nempe animi mutationem quæ solum creaturis potest conuenire; deducitur manifestè ex prædicta propositione Deum non esse creatorem, & per consequens præfata propositio subuertit istam: Deus est creator mediatè & indirectè & sic modo dicto inuicem contrariantur. Vtroque autem modo ex declaratis inueniuntur aliquæ propositiones in Sacris literis, quibus in sensu proprio illæ, quas pro nobis allegauimus, opponi contrariè videntur. Et quantum ad immediatam & directam oppositionem satis liquet: nam cum haberi aliquid ex gratia vel misericordia: & haberi ex operibus immediatè & directè opponantur; fit consequens, quod omnibus illis propositio-

positionibus exaratis in Sacro Codice quæ secundum sensum proprium vitam æternam dari ex gratia & misericordia exprimunt directè & immediatè sint oppositæ vtriusque classis à nobis citatis autoritatibus in sensu proprio expositis, qualis est in Psal. *Qui coronat te in miserationibus*. Et Act. *Per gratiam Iesu Christi credimus saluari*. Item ad Rom. *Gratia Dei vita æterna*. Quę verò mentionem faciunt humanæ salutis indefinitè vt ad Ephes. *Conuiuificauit nos in Christo, cui⁹ gratia estis saluati*. Et infra: *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum estis ne quis glorietur*. Et consimiles autoritates iuxta textum, plenam habent expositionem de salute, quæ opponitur, morbo peccati præcedenti à quo sumus liberati per Christi gratiam, quare non faciunt ad institutum. Ille verò locus Isaiæ quem citauimus supra cum Caluino scilicet. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis*, &c. & si qui alij his conformes inueniantur, cum non exprimant vitam æternam, vel aliquid ęquiualens, nullo modo parti Aduersæ deseruiunt. Sed esto, demus quod illis prosit, & reducamus illa ad reliqua primò recensita, quæ sc. vitam æternam gratiosa ac liberali Dei manu obtineri indicāt, quę omnia exiguo numero cōprehenduntur. Verū enimuerò quāuis sensus illorū à nostris autoritatibus propriè acceptis subuerti prima facie videatur, re tamen bene liberata & expensa nullatenus illis aduersatur. Ratio subest plana nēpe quia nos non recipimus nostras autoritates in rigore sermonis vt iacent verba nimirum quod merè ex operibus obtineatur à Deo, vita ęterna nulla intercedente eius gratia & benigno fauore, quinimo (vt ex supradictis eius constat) contemperamus gratiam cum operibus: supponimus enim nos vitam æternam habere magis & minus, & inde duobus modis posse accipi. Vno modo absolutè: Altero modo, quantū ad incrementū illius. Vtroq; aūt modo acceptū dependere ab operib⁹ asserimus; sed aliter atq; aliter. Nā sicut fatemur absq; vllo opere, sed ex mera gratia diuina hominē impiū iustificari; pariter absq; valore operum

Psal. 102.
Cap. 15.
Cap. 6.
Cap. 55.

rum(per se loquendo)asserimus iustificatum hominem addictum esse ad aliquem gradum vitæ æternę iuxta mensuram Altissimo manifestam, sed ex vi iustificationis titulo videlicet hæreditario filiorum Dei, vt patet clarè in pueris & amentibus baptizatis. Cum hoc tamen firmiter tenemus, quod prę fati iustificati addictio ad gloriam dependeat in conseruari à valore operum: nam nisi benè operando adultus sui compos sese conformauerit toto tempore vitæ, diuinæ legi perdet titulum hæreditatis prædictę. Non enim hominem destinatum ad vitam ęternam à Deo per meritum Christi, feliciorem iudicam⁹, quam immediatè ordinati à Deo ad ęternam gloriā, quos constat indiguisse continuatione bonorum operū pro percipienda hæreditate cęlesti, vt rei probauit euentus in Angelis & protoparente, qui propter trāsgressionem diuini mādati destinati fuerunt ad æternas pœnas, licet ex copiosa & superabundanti gratia Dei primus parens reintegratus fuerit. Amplius profitemur, quod augmentum vitæ æternę dependeat in fieri & in conseruari à valore bonorum operum hominis iustificati, non tamen quod opera vires habeant ad prædictum effectum ea parte, qua procedunt à libero arbitrio (licet liberum arbitrium necessariò requiratur) nouimus enim quòd non sunt condignæ passiones huius mundi ad futuram gloriam. Sed ex eo capite quo hominis iustificati opera bona procedunt à gratia Spiritus S. vt in primis articulis declarauimus.

Ecce igitur quam placidè noster modus dicendi temperat gratiam Dei cum operibus humanis, respectiuè iuxta gratiā absolutè sumptam, & illius augmentum. Ex quo clarum & perspicuum est nostra allegata testimonia in puncto de valore operum propriè sumpta, non subuertere sensum proprium allegatarum autoritatum pro Aduersarijs: Nam si in prędictis illorum autoritatibus comprehenditur augmentum vitæ æternæ (quòd tamē non apparet) cum ipsæ non designēt dari solum & merè ex gratia: clarum est, quòd pro nobis allegatæ

gatæ

Digitized by Google

gatæ eis non opponantur. Item qua parte loquuntur de vita æterna absolutè loquendo, sensus proprius nostrarum illas propriè acceptas non lædit: quandoquidem nos valorem operum, quem nostræ exprimunt, non exponimus respectu primi gradus vitæ æternæ, quantum scilicet ad illius fieri (vt ita liceat loqui) sed respectu augmenti ipsius vt ipsæ clarè indicant: Alias vero citatas, quæ valorem operibus bonis pro vita æterna absolutè consequēda asscribere videntur, admittimus in proprio illarum sensu, verum non respectu fieri, sed respectu conseruari: asserimus enim nullum mortalium posse cuncta Dei mandata, quæ toto vitæ decursu occurrunt explere, semperque se ab omni Dei offensa absque diuina gratia præseruare. Neque prædictum conseruandi valorem illis secūdum se sumptis (idest, prout procedunt à libero arbitrio) tribuimus, sed gratiæ hominis iustificati, cuius virtute eademmet gratia conseruatur; & per consequens destinatio hominis iustificati ad desideratam patriam manutenetur & fulcitur.

Liquidum ex dictis hactenus restat, in nullo genere oppositionis proprium sensum alicuius Sacri textus testimonij directè & immediatè à nostris vtriusque classis sententijs citatis propriè pariter acceptis in minimo lædi. Reliquū ergò est vt veniamus ad optatā antithesin proponēdam, & inquiramus, an sint aliquæ propositiones, quarum sensus proprius, à nostris propriè acceptis quoque, indirectè & mediatè subuertatur, & quænam illæ sint, diligenter indagandum: nam proculdubio non desunt aliquæ, ex quibus pars Aduersa ansam errandi in re tanti momenti acceperit. Non enim est verisimile tot præclara orbis ingenia, & inter alia Principum quorundam, qui laudabiliter studio Theologico his calamitosis temporibus pro veritate eruenda se tradunt, atque solicitè incumbunt, absque vllo penitus fundamento, & aliquali apparentia in Sacris literis, nouam sententiam, contra communem ab exordio nascentis Ecclesiæ cursum in suo errore fir-

secundę figuræ syllogisticæ,nec eius maior indiget probatione, quādoquidem ex terminis quasi ipsius veritas innotescat. Constitutissimum enim est, quod nuñquam allectus quispiā promissione ad faciendum aliquid, faceret illud, nisi saltem præsumat se obtenturum propter opus quod fecerit, illud quod ei promittitur. Vnde sequitur, quod stulta illius promissio esset,qui promitteret mercedem propter opus,non tamen propter opus intendens illam dare, atque nollet quod sua intentio illum cui promittit,lateret.

Minor Syllogismi constat tum ex Caluino & Caluinistis, qui suo facto illam probant: Ex quo enim declarant scriptis latinis & vulgatis, & palam concionando omnibus, quibus De⁹ promisit dare vitam ęternam propter opera, patefaciūt: quod intentio Dei non sit dare illam propter opera, sed propter solam fidem,quinimo vt nullam habeant operum rationem pro salute æterna consequenda omnes monent & vrgent;neque Caluinus aut sui fateri audebunt ,suum modum aperiendi & explicandi publicè Euangelium esse contra Dei voluntatem,restat per ipsos minor probāda vera, tum etiam ex eo liquet quia Dei voluntas est, vt quæ concernunt sacræ Scripturæ fidem & mores generales, omnibus inferioribus per superiores & proceriores innotescat.Ridiculū enim esset asserere dato quod sententia Caluiniana in puncto de operibus esset vera,quod Doctor aliquis vel minister deberet dicere tenello alicui fideli & tyroni pio,exerce te in bonis operibus,quoniam propter illa dabit tibi Deus mercedem vitam ęternam, vel retributionem aut aliquid simile, item quanto plura perfeceris bona opera,tanto maius æternę gloriæ præmium reportabis;& prouectioribus fidelibus deberet suadere vt patrarent bona opera,non propter vitam æternam assequendam,sed propter imitationem Christi Redemptoris,vel aliquid consimile inductiuum, esset enim necessum & quod Institutiones Caluini essent Græcè aut Hebraicè scriptæ, vt ex illis eligerent ministri linguarum peritioresque cuilibet fideli

fideli iuxta eius capacitatem documenta essent accommodata; vel pariter necessarium esset, vt in diuersis Ecclesijs vel scholis fideles instruerentur & catechizarentur. Hactenus de argumentis ab autoritate Sacræ Scripturæ in confirmationẽ nostræ conclusionis dicta sufficiant.

Iam igitur expendat Lector semoto quocunque animi affectu, sed veritatis inspiciendæ solicitus, an possit aliqua propositio firmius ex sacris literis stabiliri, quam hæc nostra de valore operum conclusio, quam tot testimonijs adeò perspicuis comprobauimus, ac rationibus consolidauimus, & sic veritate percepta comperiet, si moderni Hæretici qui alios docent, non aliundè desumenda esse argumenta ad Catholica dogmata confirmanda, præterquam ex Sacris literis (vt & nostri Collocutores in exordio disputationis nostræ à me instanter efflagitarunt) tot patentissimis autoritatibus iã positis non acquiescant, seu (vt verius dicam) eisdem conuictos esse fateri renuant, illos ad arguendum & disputandum contra ipsos viam nobis occludere & obstruere. Certum est & absque vlla controuersia, si plurimæ autoritates à nobis citatæ pro conclusione in sensu proprio (id est in eo sensu, ad quẽ primò significandum verba sunt imposita) recipiantur, euidentissimè & in terminis proprijs vt dicunt, nostram propositam conclusionem comprobare. Quod si quæcunque à nobis proposita testimonia Aduersarij exponunt & interpretantur, trahentes verba à proprietate sermonis ad metaphoras, aliasque improprias locutiones, nullumque in sensu proprio recipientes: Deducitur liquidò, nullam nobis restare viam ad arguendum, ex scripturis sacris contra ipsos, quorsum igitur semper ad probandum ex sacris literis insurgunt, & nihil prçter verbum Dei scriptum effutiunt & clamitant? nunquid potest aliqua conclusio melius quam copioso autoritatum numero, quæ propriè acceptæ intentum clarissimè exprimũt confirmari? Ineptum planè esset si aliquis Aduersarius à me peteret probationem sententię alicuius argumento ab auto-

 ritate

ritate desumpto, si tot quot producere ego possem in propriis terminis conclusionem meam continentes autoritates ipse Aduersarius semper glossare, & à proprio sensu ad impropriũ detorquere in animum induxerit.

Sed vlterius pergamus argumento nostro desumpto ab autoritate Sacræ Scripturæ sigillum imponamus demonstrantes à nostris Aduersarijs præfatas autoritates vtriusque classis pro nostra conclusione allatas à sensu proprio ad metaphoras & improprias locutiones immeritò ac ineptè trahi, quæ est prima illorum hallucinatio in Sacris literis & capitalis error, fons & origo cæterorum, sed potius eos cõpelli ad illas in sensu proprio absq; vlla adhibita expositione amplectendas, vt sequens argumentum generale ostendit.

Omnis autentica Scriptura est recipienda in sensu proprio nisi in casu, quo ex illius sensu proprio oriatur aliquod incõueniens.

Sed si autoritates Sacræ Scripturæ, quas in conformationẽ nostrę conclusionis in puncto scilicet de Valore operum bonorum adduximus, recipiãtur in sensu proprio nullum nascitur inconueniens.

Ergo prædictæ autoritates sunt recipiendæ in sensu proprio: & per consequens indebitè & absque vlla causa illis glossa aliqua adhibetur à nostris Aduersarijs.

Syllogismi præsentis forma est dilucida, eiusque præmissæ sunt expendendæ; & si maiorẽ & minorẽ veram esse demonstratum fuerit, non est dubium, quin Aduersarij nostri causa omninò ceciderint. Et quãtum attinet ad maiorem, liquidò constat, non ex Scripturis eius probationem petendam esse, quia eademmet autoritas, per quam tentaremus illam probare, reuocari quoq; posset in dubiũ, an in sensu proprio, vel improprio recipienda. Recurrendũ igitur est ad lumen naturæ, per quod adeò euidenter ex per se notis deducitur vt puerile iudicẽ pro ipsa syllogismum formare. Ad minorẽ igitur in qua est tota difficultas, accedamus, quæ sic probatur. Vel

prædi-

prædictum inconueniens pertinet ad lumen naturę vel ad lumen fidei sed neutrum dici poteſt ergò minor probanda vera. quod autem non ad lumen naturæ patet, quia aliud incōueniens aſſignari non poſſet præterquā illud factum ſupra in præambularibus articulis nimirū quod creatura ſuum creatorē mereri: ſed loquendo de tēperato merito clarè mōſtrauimus in loco allegato nullū eſſe inconueniēs, creaturā mereri apud Deū vitam ęternā: tum etiam dato, & non conceſſo quod creaturā mereri apud Deum eſſet inconueniens parum id obeſſet ſenſui proprio noſtrarum vtriuſq; claſſis autoritatum, nam (vt in primis inſinuauimus) ex alio capite omnes illæ, iuxta earum ſenſum proprium valorem bonorum operū pro conſecutione vitæ æternę indicant, nimirum ex vi pacti initi inter Deum & hominē, ex quo nullum deduci poteſt lumini naturæ incommodum repugnās. Sequitur igitur quod ſi aliquot inconueniens naſcatur, illud pertineat ad lumen fidei; quoniam autem Aduerſarij noſtri aliud verbum Dei fide non recipiunt præter ſcriptum, opus eſt, vt dictū inconueniēs oſtendant in Sacris literis. Debent itaq; aſſerere in S. Scriptura eſſe loca aliqua, quorum proprius ſenſus ab autoritatibus pro noſtra ſententia citatis, ſi propriè intelligantur, manifeſtè ſubuertatur, atque idcircò eſſe piè exponendas. Sed quæ ſint talia loca, quæ pro Aduerſarijs adduci poſſunt, expendendum eſt diligenter; quod ſi aliqua inueniantur in tali caſu iuxta metas rectę rationis à prudenti viro debet fieri examen inter autoritates noſtras ac illorum, quæ ſcilicet illarum numero & claritate ſententię alijs præponderent, paritérque attendendum eſt. quænam magis concordent ſecundum ſensū proprium cum lumine naturæ; nec non gloſſę vtriuſq; partis, litigandis quę obiectis viciſſim autoritatibus adhiberi ſolēt, liberandæ veniunt.

Hac expediebat vt Caluinus ſepoſita tanta verborum copia, totque concionibus, quibus chartas impertinenter farſit, pauca de hoc puncto tetigiſſet, quæ eſt clauis ad aperiendas

 verita-

veritates dubias in codice nostræ salutis pro illis, qui sensu vniuersalis Ecclesiæ subijcere se dedignantur, atque hoc præsertim cum adeò bonam nactus esset occasionem à seipso datam lib.3.Instit.cap.15.vbi sic scribit. *Tametsi enim dicit Christus habenti datum iri, & super multa constitutum iri fidelem ac probum seruum, qui in paruis se fidelem gesserit: simul tamen alibi ostendit incrementa fidelium esse gratuitæ bonitatis suæ munera. Omnes, inquit, sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, venite, emite absque argento, & absque commutatione vinum & lac.*

§. 4. Mat. 25. & 29. c. 19. Isai. cap. 55.

Ecce ponit antithesin autoritatum, & sepositis nostris, cõcludit ex illis quæ faciunt pro ipso, suam conclusionem intentam. Sed rogo, quare pro se deducit? nunquid contradictoria conclusio prædictę suę, non sequitur ex nostris prius ab illo allegatis ibidẽ, quam & ipse etiã insinuat? Ineptè igitur manu ducit & dirigit lectorem ad conclusionem, cuius oppositam etiam pueri inferri possunt. Alium errorem, patentem in Caluino nota tu, qui illum vt Reformatorem Euangelicę doctrinę veneraris, quem committit tantus Doctor. Fatetur enim prædictas autoritates ab ipso pro nobis allegatas loqui de incremento beneficiorum Dei (vt reuera res se habet) attamen volens postea nostræ conclusioni, quæ ex illis infertur, se opponere, infert pro se quod incremẽta fidelium sint gratuitę diuinę benignitatis munera, ex loco Isaię scilicet. *Omnes, inquit, sitientes venite ad aquas,* &c. Vnde amabo deducitur ex dicta autoriate conclusio de incremẽto glorię? nã dato quod in ea loquitur de ęterna gloria, nonne quisque facilè potest interpretari iuxta planum textum de primo gradu glorię, cui homo addicitur ex vi iustificationis, qui debetur iustificato titulo hęreditario filiorum Dei? & si Spiritus S. ibidem loquatur de donis spiritualibus, quę recipiunt in hac vita homines à Deo, prędicta interpretatio absque textus lęsione adhiberi potest, imo loqui videtur pręfata autoritas de illis solum, qui necdum saluti ęternę addicti sunt. Rude igitur ponitur augmentum

Digitized by Google

mentum in conſequenti, de quo nulla ſit mentio in antecedente. Profectò cum primò paſſum hunc in Caluini libro obſeruaui & perſpexi, quod concluſione poſita de augmento, quam poterat inferre pro nobis, maluit inferre dubiam, imò vt ego exiſtimo nullatenus intentã à Spiritu S. ſtupefactus fui de ſimulata caligine & patenti nequitia huius hominis, ſicut ex multis ipſius dictis ingenium quo ſuo ſeculo pręfulſit equidem, miror. Concludamus igitur, quod vt prudenter in re adeò graui, ex qua pendet ęterna noſtra felicitas, vel perpetua miſeria & afflictio, procedatur, electio autoritatũ Sacrę Scripturę diſcretione præuia fieri debet, vel capiti vniuerſalis Eccleſię ſe ſubijciendum, quod præſtaret: ſecus enim faciens ipſo facto aut infirmi cerebri vel obnubilatum penitus & obcęcatum paſſione ſe prodit.

Vt igitur ad propoſitum inſtitutũ veniamus, recolenda à viris doctis trita & vulgata doctrina, quæ licet exigui momẽti videatur, non tamen deſpicienda (non enim ſunt negligenda minora, quibus pro maioribus manifeſtandis indigemus; nimirum quatuor eſſe oppoſitionum ſpecies, videlicet Oppoſitionum contradictoriam, Priuatiuam, Contrariam & Relatiuã; ex quibus vltima, nempe Relatiua ſepoſita, eo quod noſtro inſtituto inhabilis planè ſit, & nullatenus deſeruiat, tres reliquas percurramus. Prima, quę eſt oppoſitio contradictoria, Aduerſarios parum iuuat, quia vix inuenientur ſacræ Scripturæ autoritates illis, quæ de valore bonorum operum ad vitam æternam pro nobis faciunt, contradictoriè oppoſitæ: nullibi enim inuenietur, vbi exprimatur in terminis, vitã æternam non dari propter bona opera. Item neque producẽt aliquem locum in quo habeatur vitam æternam non dari vt mercedem, aut coronam vel retributionem &c. quarum omnium propoſitionum contradictorias plurimas pro nobis citauimus, & multæ aliæ, à quocunque ſi reuoluat Sacra volumina videri poſſunt: quod verò dicitur ad Rom. *Exiſtimo quod non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram glo-* Cap. 8.

riam, contradicere videtur nostris propositionibus, non tamē omnibus, sed illis duntaxat, quę vitæ æternę meritum concernunt; nec illis quoque propriè loquendo contradicere inferius monstrabimus. De priuatiua oppositione non est quod simus solliciti, dum nullam (vt reor) assignabunt Aduersarij in Sacra Scriptura contentam propositionem, quibuscunque terminis excogitari voluerint, quę priuatiuè locis pro nobis allegatis opponatur. Vna ergo remanet tantum oppositio contraria examinanda, quæ sola Aduersarijs fauere potest, vt realiter fauet, prodest & inseruit. Pro qua aduertēdum quod duobus modis aliquæ propositiones S. Scripturæ in sensu proprio, inuicem contrariantur. Vno modo immediatè & directè, vt v.g. in scriptura habetur hæc. Christus est leo, iuxta illud

Cap. 5. Apoc. *Vicit leo de tribu Iuda*. Habetur quoque hæc altera, Christus est homo, quæ duæ secundum sensum proprium acceptæ directè & immediatè opponuntur; quandoquidem per seipsas vna aliam subuertit. Altera verò inter propositiones Sacræ Scripturæ contrarias reperitur mediata & indirecta vt v.g. in Sacris literis continetur, quod Deum pœniteat, se-

Cap. 6. cundum illud Gen. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra*, quæ contrariatur huic, Deus est creator, si ambę in sensu proprio recipiantur, sed mediata & indirecta contrarietatę. Nam cum propriè pœnitere includat defectum, nempe animi mutationem quæ solum creaturis potest conuenire; deducitur manifestè ex prædicta propositione Deum non esse creatorem, & per consequens præfata propositio subuertit istam: Deus est creator mediatè & indirectè & sic modo dicto inuicem contrariantur. Vtroque autem modo ex declaratis inueniuntur aliquæ propositiones in Sacris literis, quibus in sensu proprio illæ, quas pro nobis allegauimus, opponi contrariè videntur. Et quantum ad immediatam & directam oppositionem satis liquet: nam cum haberi aliquid ex gratia vel misericordia: & haberi ex operibus immediatè & directè opponantur; sit consequens, quod omnibus illis propositio-

positionibus exaratis in Sacro Codice quæ secundum sensum proprium vitam æternam dari ex gratia & misericordia exprimunt directè & immediatè sint oppositæ vtriusque classis à nobis citatis autoritatibus in sensu proprio expositis, qualis est in Psal. *Qui coronat te in miserationibus*. Et Act. *Per gratiam Iesu Christi credimus saluari.* Item ad Rom. *Gratia Dei vita æterna.* Quę verò mentionem faciunt humanæ salutis indefinitè vt ad Ephes. *Conuiuificauit nos in Christo, cui⁹ gratia estis saluati.* Et infra. *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum estis ne quis glorietur.* Et consimiles autoritates iuxta textum, plenam habent expositionem de salute, quæ opponitur, morbo peccati præcedenti à quo sumus liberati per Christi gratiam, quare non faciunt ad institutum. Ille verò locus Isaiæ quem citauimus supra cum Caluino scilicet. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis,* &c. & si qui alij his conformes inueniantur, cum non exprimant vitam æternam, vel aliquid ęquiualens, nullo modo parti Aduersæ deseruiunt. Sed esto, demus quod illis prosit, & reducamus illa ad reliqua primò recensita, quæ sc. vitam æternam gratiosa ac liberali Dei manu obtineri indicãt, quę omnia exiguo numero cõprehenduntur. Verũ enimuerò quãuis sensus illorũ à nostris autoritatibus propriè acceptis subuerti prima facie videatur, re tamen bene liberata & expensa nullatenus illis aduersatur. Ratio subest plana nẽpe quia nos non recipimus nostras autoritates in rigore sermonis vt iacent verba nimirum quod merè ex operibus obtineatur à Deo, vita ęterna nulla intercedente eius gratia & benigno fauore, quinimo (vt ex supradictis eius constat) contemperamus gratiam cum operibus: supponimus enim nos vitam æternam habere magis & minus, & inde duobus modis posse accipi. Vno modo absolutè: Altero modo, quantũ ad incrementũ illius. Vtroq; aũt modo acceptũ dependere ab operib⁹ asserimus; sed aliter atq; aliter. Nã sicut fatemur absq; vllo opere, sed ex mera gratia diuina hominẽ impiũ iustificari; pariter absq; valore operum

Psal. 102.
Cap. 15.
Cap. 6.
Cap. 55.

gatæ eis non opponantur. Item qua parte loquuntur de vita æterna absolutè loquendo, sensus proprius nostrarum illas propriè acceptas non lædit: quandoquidem nos valorem operum, quem nostræ exprimunt, non exponimus respectu primi gradus vitæ æternæ, quantum scilicet ad illius fieri (vt ita liceat loqui) sed respectu augmenti ipsius vt ipsæ clarè indicant: Alias vero citatas, quæ valorem operibus bonis pro vita æterna absolutè consequēda asscribere videntur, admittimus in proprio illarum sensu, verum non respectu fieri, sed respectu conseruari: asserimus enim nullum mortalium posse cuncta Dei mandata, quæ toto vitæ decursu occurrunt explere, semperque se ab omni Dei offensa absque diuina gratia præseruare. Neque prædictum conseruandi valorem illis secūdum se sumptis (idest, prout procedunt à libero arbitrio) tribuimus, sed gratiæ hominis iustificati, cuius virtute eademmet gratia conseruatur; & per consequens destinatio hominis iustificati ad desideratam patriam manutenetur & fulcitur.

Liquidum ex dictis hactenus restat, in nullo genere oppositionis proprium sensum alicuius Sacri textus testimonij directè & immediatè à nostris vtriusque classis sententijs citatis propriè pariter acceptis in minimo lædi. Reliquū ergo est vt veniamus ad optatā antithesin proponēdam, & inquiramus, an sint aliquæ propositiones, quarum sensus proprius, à nostris propriè acceptis quoque, indirectè & mediatè subuertatur, & quænam illæ sint, diligenter indagandum: nam proculdubio non desunt aliquæ, ex quibus pars Aduersa ansam errandi in re tanti momenti acceperit. Non enim est verisimile tot præclara orbis ingenia, & inter alia Principum quorundam, qui laudabiliter studio Theologico his calamitosis temporibus pro veritate eruenda se tradunt, atque solicitè incumbunt, absque vllo penitus fundamento, & aliquali apparentia in Sacris literis, nouam sententiam, contra communem ab exordio nascentis Ecclesiæ cursum in suo errore fir-

miter persistant) quod pace illorum, saluoque omnium & singulorum honore dictum sit. Et licet arguendo paulatim possemus per legitimum discursum venire ad illas, breuitati tamen studentes iudicamus nullas alias assignari posse ab Aduersarijs nostris, præter illas quæ concernunt materiam de Iustificatione: quia enim ex valore operum pro consecutione vitæ æternę infertur necessariò hominem facere opera iustitiæ; & per consequens esse gratum Deo & acceptum propria atque inhærente iustitia, cuius oppositum Aduersarij nostri pro viribus tuentur: sequitur quod omnes illæ propositiones quæ propriè acceptæ in prędicto pūcto faciunt pro Aduersarijs, à nostris vtriusque classis testimonijs propriè sūptis indirectè & mediatè penitus subuertantur, & tales sunt omnes illę, quæ iustitia inhærente actuali (id est illa quæ in operatione consistit) & habituali, hoc est illa, qua homo iustus secundum se seclusa quacunque actuali operatione dicitur) hominem Christo incorporatum destitutum esse, iuxta sensum illarum proprium indicant. Inter illa testimonia quæ negare videntur iustitiam actualem hominis, præcipuè sunt quę ipsum non posse adimplere legis diuinę præcepta designant.

Cap.7. Apostolus ad Rom. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.*

Cap.3. Ad Gal. *Quicunq; enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*

Cum clarè constet, quemcunque omnia præcepta legis adimplentem esse benedictum & ex autoritate postrema habeatur, quod nitens adimplere præcepta diuinæ legis, sit maledictus, deducitur manifestè, videtur impossibile esse homini adimplere præcepta legis.

Post prędictas autoritates proximum locum tenent, quę sequuntur, & pariter eandem, quam superiores impossibilitatem attestari videntur.

Cap.6. 2. Paral. *Neq; est homo qui non peccet.*

Cap.15. Iob. *Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere?* Et

Et infra *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli non sūt mundi in conspectu eius.*
Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquā iniquitatem?
Idem Iob. *Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?* Cap. 31.
Regius Propheta. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, & non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Psalm. 13.
Item. *Omnis homo mendax.* Psalm. 115.
Preterea. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Psalm. 118.
Eccles. *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Cap. 7.
Prouerb. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Cap. 20.
Item. *Septies in die cadit iustus.* Cap. 24.
Matth. *Dimitte nobis debita nostra.* Cap. 6.
Iacob. *In multis offendimus omnes.* Cap. 3.
1. Ioan. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Cap. 1.

Ex quibus omnibus deducitur, quod homo nunquā sit sine peccato, & per consequens impossibilitas abstinendi ab illo, & sic adimplendi legem diuinam insufficiētia colligitur: nec non ex ijsdē infertur, nullam nostris actibus inherere iustitiā: quod & alia testimonia sequentia expressius manifestant.

Regius vates. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psalm. 142
Iob. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me; si innocentem ostendere, prauum comprobabit.* Cap. 9.
Prouerb. *Quis potest dicere. Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Cap. 20.
Item Dan: *Non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis prosternimus preces nostras.* Cap. 9.

Et Luc. celebris illa & decantata ab Aduersarijs autoritas idemmet demonstrare videtur. *Cum feceritis omnia quæ* Cap. 17.

præcepta sunt vobis,dicite serui inutiles sumus,quod debuimus facere,fecimus.

His succedit tritus & vulgatus locus,qui expressè omnia o-
Cap.64. pera nostra iniusta esse coram Deo designat.
Isai: *Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.*

Hactenus de illis testimonijs quæ iuxta sensum propriū actualem in homine iustitiam reperiri negare videntur. Iam producamus ea, quæ propriè accepta indicant hominem Christo incorporatum esse,iniustum, Deoque infensum: attamen intrinseca Christi iustitia sibi imputata iustificari. Sed aduerte loca ista bipartita esse: Alia enim habitualem hominis iustitiam negant: Alia verò hominem Christi iustitia imputatiua apprehensa per fidem, iustum esse asserunt. Quantum ad negatiua,multa & diligenti indagine opus haud est: quæ enim reperiri possunt pro Aduersarijs, in fauorē primi puncti omnia fermè (vt existimo, allegata sunt;cum eadē tum ad actualem iustitiam; tum ad habitualem subuertendam valeant.Superest tamen vnum,quod directè ad ipsorum
Cap.7. propositum facit,quod citant ex Paulo. Rom: *Si autem quod nolo,illud facio: iam non ego operor, sed quod habitat in me peccatum.* Ex quibus verbis propriè allegatis habetur, indiuiduum comitem,esse peccatum in hominibus iustificatis, saltem dū in hac vita degunt.Quę autem demonstrare videntur hominem iustitia Christi imputatiua iustificatum esse, sunt quædā loca, quorum nullus tamen inuenietur in Scriptura Sacra, qui doceat expressè homines Christi iustitia imputatiua esse iustificatos,quamuis aliqua reperiantur,quę æquiualenter in alijs terminis hoc idem exprimere videantur. Primum testi-
Cap 15. monium est Genes. quod citat Paulus ad Rom. cap. 4. *Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam.*
Cap.33. Ierem.loquens de Christo. *Et hoc est nomen quod vocabunt eū, Dominus iustus noster.*
Cap.13. Act. *In hoc omnis qui credit iustificatur.*

Aposto-

Apoſtolus ad Rom. *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam.* Cap. 4.
Item Rom. *Ita & per vnius obeditionē iuſti conſtituentur multi.* Cap. 5.
Si præpoſitio Per in præſenti loco deſignat (vt apparet) cauſam formalem, clarè deducitur homines iuſtificari iuſtitia imputatiua Chriſti.
1. Corinth. *Qui factus eſt pro nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio & Redemptio.* Cap. 1.
2. Corinth. *Vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* Cap. 5.
Gal. *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtū induiſtis.* Cap. 3.
Epheſ. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Cap. 1.
Item ad Epheſ. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deū creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Cap. 4.
Sunt & aliæ autoritates, quæ eandem ſententiam; ſed alia forma loquendi deſignare videntur.
2. Eſdræ. *Ne operias iniquitatem eorum.* Cap. 4.
Pſalmiſta. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Pſal. 31.
Item. *Operuiſti omnia peccata eorum.* Pſal. 84.
Ezech. loquens de Ieruſalem. *Et expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam.* Cap. 16.
Iacob. *Saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Cap. 5.
Cum nihil aliud tegumentum vel operculum peccatorum vt homo coram te comparere poſſit, præter iuſtitiam Chriſti eſſe poſſit; euidenter ſequitur, iuſtitiam Chriſti ipſis inſertis imputari.
Amplius in Pſalmo proximè allegata eadem ſententia Aduerſariorum inſinuatur. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Pſal. 31. Hoc idem Paulus 2. ad Corinth. *Quoniam quidem erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.* Cap. 5. Ex his duobus proximis locis manifeſtè colligitur, atque immediatè, hominibus Chriſto incorporatis non impu-

imputari peccata. Si autem his addatur, Christum non tantū passum fuisse, vt nos liberaret à peccatis, euidenter deducitur causam, quare hominibus à Deo peccata non imputentur, esse, quod iustitiam Christi quasi nostram acceptet.

Iam nos, vt veniamus ad antithesin pro nostra parte præcedentibus opposita adducemus contraponendo prius ea Sacrę Scripturę testimonia, quę pro iustitia actuali & habituali allegatis in fauorem partis Aduersę iuxta sensum proprium aduersantur: sed ante omnia præmonemus, quod pro iustitia habituali plurima superius in secundo argumento nostro pro conclusione sunt exarata; nec non aliqua prędictorum in decursu quæstionis, quæ faciunt pro actuali operum iustitia: nam illa repetere tædiosum iudico potius quam alicuius emolumenti; & ita vt secundum æquitatem liberetur antithesis Lector veritatis cupidus nedum hic ponenda, vel etiam superius scripta lustret, attendat, & examinet. Primum igitur locum habeant, quę possibilitatem adimplendi legem Dei expressis terminis manifestant.

Cap. 30. Deut. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.*

Eodem cap. Et infra. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Neq. trans mare positū, vt causeris, & dicas. Quis è nobis poterit trāsfretare mare, & illud ad nos vsq. deferre: vt possimus audire & facere, quod præceptū est? Sed iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illū.*

Cap. 11. Matth. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

Cap. 4. Philip. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

Cap. 5. 1. Ioan. *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.*

Ex iamiam citatis autoritatibus dilucidè constat non esse impossibile legem Dei implere; Accedamus nunc ad loca,

quę

quæ iustitiam habitualem & actualem docent, & primò ex veteri Testamento.

Gen. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Cap. 6.

Item Gen. *Ingredere tu* (scilicet Noe) *& omnis domus tua, in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Cap. 7.

Deut. *Perfectus eris, & absq; macula cum Domino Deo tuo.* Cap. 18.

Iosue. *Sicut præceperat Dominus Moysi seruo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille vniuersa compleuit: non prætery̆t de vniuersis mandatis, ne vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.* Cap. 11.

1. Reg. *Et erat ei filius vocabulo Saul electus & bonus.* Cap. 9.

3. Reg. *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris eius.* Cap. 3.

3. Reg. loquente Spiritu sancto de Salomone. *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.* Cap. 11.

Item. *Ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter Dauid seruum meum, quem elegi, qui custodiuit mandata mea, & præcepta mea.* Eodem ca.

Et infra. *Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaueris in vy̆s meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus.* Eodem ca.

3. Reg. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Cap. 14.

3. Reg. *Eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ.* Cap. 15.

4. Reg. *Quia studiosè* (nempe Iehu) *egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo.* Cap. 10.

4. Regum. loquens de Ezechia. *Fecitque quod bonum erat* Cap. 18.

coram

coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius.

Cap.23. 4.Reg. *Similis illi* (scilicet Iosiæ) *non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.*

Cap.15. Præterea 2. Paral *In tota voluntate quæsierunt eum (* nempe Dominum*) & inuenerunt.*

In eodem cap. Infra. *Attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus eius.*

Cap.15. 2.Paral. *Veruntamen quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus; siquidem & in Iuda inuenta sunt opera bona.*

Cap.19. 2.Paral. *Sed bona opera inuenta sunt in te.*

Cap.24. 2.Paral. *Fecitq;* (Ioas) *quod bonum est coram Domino cunctis diebus Ioiadæ Sacerdotis.*

Cap.31. 2. Paral. *Fecitque ergò Ezechias vniuersa quæ diximus in omni Iuda; operatusque est bonum & rectum & verum coram Domino Deo suo.*

Cap.1. Iob. *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.*

Cap.1. Item. *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?*

Eodem cap. Et infra. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.*

Cap.2. Præterea. *Vir simplex & rectus* (nempe Iob) *ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.*

Cap.10. Insuper Iob. *Et scias quia nihil impium fecerim.*

Cap.27. *Non recedam ab innocentia mea.*

Idem Iob. *Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.*

Cap. 27. Psalm.14. Regius vates. *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.*

Psalm.7. Præterea. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.*

Psalm.16. Insuper. *Exaudi Domine iustitiam meam.*

Eodem Ps. Infra. *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.*

In

In fine. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo.* *In eodem Psalm.*
Item. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* *Psalm.17.*
Quia custodiui vias Domini, nec impij gessi à Deo meo.
Et infra. *Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.* *Eodem Ps.*
Præterea. *Iudica me Domine quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* *Psalm.25.*
Item. *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* *Psalm.100.*
Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.
Non proponebam ante oculos meos rem iniustam.
Præterea. *Non adhæsit mihi cor prauum.* *Eodem Ps.*
Infra. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* *In eodē Ps.*
Vlterius. *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* *Psal.105.*
Item. *Iustificationes tuas custodiam.* *Psal.118.*
Præterea. *In toto corde exquisiui te: ne repellas me à mādatis tuis.*
In cordi meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.
Ibidem. *In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.*
Vlterius. *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.*
Item. *Iustificationibus tuis meditabor, nō obliuiscar sermones tuos.*
Item. *Et custodiam sermones tuos.*
Insuper. *Quia testimonia tua exquisiui.*
Præterea. *Seruuus autē tuus exercebatur in iustificationibus tuis.*
Adhæc. *Viam mandatorum tuorum, cum dilatasti cor meum.*
Item. *Exquiram eam*(legem)*semper.*
Amplius. *Scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*
Præterea. *Et custodiam legem tuam semper, in seculum & in seculum seculi.*
Insuper. *Quia mandata tua exquisiui.*
Ibidem. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.*
Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in iustificationibus tuis.

 Infra.

Infra. *A lege autem tua non declinaui.*
Item. *Et custodiui legem tuam.*
Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.
Preterea. *Et legem tuam non sum oblitus.*
Vltra. *Ego autem exercebor in mandatis tuis.*
Ibidem. *Iustificationes tuas non sum oblitus.*
Inibi. *Ego autem non dereliqui mandata tua.*
Item. *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas.*
Amplius. *Quoniam iustificationes tuas exquisiui.*
Præterea. *A iudicijs tuis non declinaui.*
Vlterius. *Et legem tuam non sum oblitus.*
Item. *De mandatis tuis non erraui.*
Ibidem. *Feci iudicium & iustitiam.*
In eodem Psal. *Seruaui mandata tua & testimonia tua.*
Demum. *Quære seruum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus.*
Cap. 2. Prouerb. *Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter, seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens.*
Cap. 4. Item. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens procedit & crescit in perfectam diem.*
Cap. 10. Præterea. *Opus iusti ad vitam.*
Infra *Labia iusti erudiunt multos.*
Cap. 11. Item. *Iustitia simplicis diriget viam eius.*
Ibidem. *Desiderium iustorum omne bonum est.*
Cap. 15. Vlterius. *Victimæ iustorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia.*
Abominatio est Domino via impij: qui sequitur iustitiam diligitur ab eo.
Ibidem. *Via iustorum absq; offendiculo.*
Cap. 16. Item. *Initium viæ bonæ facere iustitiam: accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias.*
Cap. 21. Adhæc. *Gaudium iusto est facere iudicium.*
Item ibidem. *Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet*

niet vitam, iustitiam & gloriam.
Denique. *Qui autem iustus est, tribuet & non cessabit.*

Sed non videtur in his Prouerbijs asseri iustitia actualis vel habitualis absolutè loquendo: sed potius omnes allegatę propositiones vim conditionalium duntaxat habere vt v. g. in vltimo citata clarè apparet, quę hunc sensum ingerit nempe; dato quod aliquis iustus sit, tribuet & non cessabit, vnde sequitur quod non deseruiant nostro instituto: Sed hoc rude est; quid enim seruirent, pro instructione & documento animę nostrę præfatę autoritates, è cuius prætextu proponuntur nisi in rei varietate, quod in illis designatur, ad effectum deduci possit? cuius fructus à Spiritu sancto implicare nomen Iusti, & Operum iustitiæ, si nũquam iustus inueniretur aliquis, nec posset inueniri? Aequiualent igitur sententijs affirmatiuis. Missum facio quod aliquæ illarum absolutè assertiuè loquantur.

Eclesi. *Quia Deo placent opera.* Cap. 9.
Sap. *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Cap. 3.
Item. *Iustus autem si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Cap. 4.
Præterea. *Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur.* Cap. 6.
Isai. *Ecce seruus meus suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Cap. 24.
Item. *Noli timere serue meus Iacob, & rectissime quem elegi.* Cap. 44.
Præterea. *Iuxta est, qui iustificat me, quis contradicet mihi.* Cap. 53.
Idem Isai. loquens de Christo. *Iustificabit ipse seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.*
Ierem. *Et conuersi estis, vos hodie, & fecistis quod rectum est in oculis meis.* Cap. 34.
Ezech. *Et si fuerint, tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Cap. 14.
Item. *Iustitia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacunque*

 die

die conuersus fuerit ab impietate sua: & iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacunque die peccauerit.

Cap.36. Præterea. *Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciã vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.*

Cap.6. Dan. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me.*

Cap.3. Mal. *Et placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem.*

Ex nouo testamento.

Cap. 1. Matth. *Ioseph autem vir eius cum iustus esset, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.*

Cap.5. Item. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.*

Cap.10. Præterea. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.*

Cap.19. Idem Matth. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.*

Cap.23. Item. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti.*

Cap.6. Mar. *Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum sanctum.*

Cap. 14. Item. *Bonum opus operata est in me.*

Cap.1. Luc. *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.*

Cap.2. Præterea. *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus.*

Cap.23. Item. *Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus.*

Cap.13. Ioan. *Vos mundi estis.*

Cap.10. Item. *Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica religiosus ac timens Deum cum omni domo sua.*

Eadem ca. Et infra de eodem. *Cornelius Centurio vir iustus & timens Deum.*

Præte-

Præterea. *Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Cap. 13.

Rom. *Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum.* Cap. 2.

Item. *Iustificati gratis per gratiam ipsius per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Cap. 3.

Et infra. *Vt sit ipse iustus & iustificans.* Eodem cap.

Præterea ad Rom: celebris illa autoritas à nobis supra citata habetur. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ & donationis accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationē vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Cap. 5.

Item Rom. *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.* Cap. 6.

Ad Rom. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem.* Cap. 8.

Cum vita propriè loquendo intrinseca sit viuenti, vt de se est notum: sic omnes illæ autoritates, quæ designant vitam spirituale in nobis in sensu proprio acceptę, rectitudinē siue iustitiam inhærentem declarant.

Ibidem. *Quos vocauit, hos & iustificauit.* In eodē ca.

Præterea 1. Corinth. *Si quis autem superædificat super fundamētum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedē accipiet.* Ecce opera bona & iusta Deoque grata esse, per aurū, argentum, lapidesque pretiosos designatur. Cap. 3.

Item ad Corinth. *Sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi. & in Spiritu Dei nostri.* Cap. 6.

Demum ad Corinth. *Euigilate iusti & nolite peccare.* Cap. 15.

2. Corinth. *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Cap. 2.

Ad Ephes. *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in o-* Cap. 2.

peribus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.

Cap. 2. 1. Timoth. *Obsecro igitur primum omninm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum & acceptabile coram Saluatore nostro Deo.*

Cap. 1. Ad Tit. *Omnia munda mundis,*

Cap. 3. Item. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei; non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed secundum misericordiam suã saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit in nos abũde per Iesum Christum Saluatorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius hæredes simus, secundum spem vitæ æternæ.*

Cap. 11. Ad Heb. *Iustitiæ quæ per fidem est, hæres est constitutus.*

Item Iac. *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?*

Eodem ca. Item in eodem cap. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo.*

Eodem ca. Et infra. *Similiter & Raab meretrix, nonne ex operibus iustificata est?*

Cap. 2. 2. Pet. *Et iustum Loth. oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit: aspectu enim & auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.*

Cap 3. 1. Ioan. 3. *Omnis qui non est iustus, non est ex Deo.*

Ibidem. Item. *Quod opera eius* (nempe Cain) *maligna erant; fratris autem eius* (scilicet Abel) *iusta,*

Eodem ca. Infra. *Quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Cap. 22. Item Apoc. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Vniuersæ hucusque pro nobis allatę autoritates propriè acceptę directè & immediatè contrariantur illis, quas pro Aduersarijs allegauimus: quandoquidem iustitiam actualem & habi-

habitualem perſpicuè atque euidenter demonſtrant, pro qua etiam aſtruenda ſunt plurima alia loca, non citata, patentiſſima, quæ tranſcribere ex ſacro Codice, reliquiſque adiungere non pigeret, niſi pro prætenſa antitheſi facienda, imò abundare conſtaret; huic igitur labori ſuperſedendum duxi. His verò addo omnia illa ſacri textus teſtimonia ſuprapoſita in ſecundo argumento, quo vt concluſionem noſtrã confirmaremus, probauimus Chriſto inſertos ad priſtinum ſtatum, à quo reciderat primus parens, reſtitutos fuiſſe, eos ſcilicet eſſe lotos, ablutos, mundatos, viuificatos, redemptos, reconciliatos, reſuſcitatos, regeneratos, ab omnibus demum peccatis purgatos: cunctæ enim hę propoſitiones, quę innumeræ ſunt, directè pugnant, atque diametro opponuntur omnibus pro Aduerſa parte allegatis.

Amplius omnia illa teſtimonia, quæ gratiam & charitatem in homine iuſtificato reperiri indicant, præfatam iuſtitiam habitualem eodem prorſus modo, quo reliquæ, iuxta ſenſum proprium luculenter docent & comprobant; quales ſunt.

Ioan. *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratiã; quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* *Cap. 1.*

Act. *Et gratia magna erat in omnibus illis.* *Cap. 4.*

Item. *Stephanus autem plenus gratia.* *Cap. 6.*

Præterea. *Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo.* *Cap. 7.*

Item. *Qui loquentes ſuadebant eis, vt permanerent in gratia.* *Cap. 13.*

Ad Rom. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* *Cap. 5.*

Item. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis.* *Eodem ca.*

Præterea. *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?* *Cap. 8.*

Infra. *Neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* *Eodem cap.*

Item 1. Corinth. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Chari-* *Cap. 13.*

tas,

tas, maior autem horum est charitas.

Cap. 6. 1. Corinth. *Charitas mea in omnibus vobis in Christo Iesu.*

Cap. 8. 2. Corinth. *Insuper & in charitate vestra in nobis, & vt in illa gratia abundetis.*

Cap. 5. Ad Gal. *Sed fidem quæ per charitatem operatur.*

Cap. 1. Ad Ephes. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu ei us in charitate.*

Eodem ca. Et infra. *In quo habemus Redemptionem per sanguinem eius remißionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.*

Cap. 3. Item. *In charitate radicati & fundati.*

Cap. 4. Præterea. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

Eodem ca. Infra. *Veritatem autem facientes in charitate.*

Allegatis iam autoritatibus pro iustitia habituali adiungere possemus innumeras alias, quas tædij vitandi gratia, consulto prætermittimus. Quod verò omnes positæ, & his consimiles iustitiam inhærentem habitualem probent, manifestissimum est ex eo, quia iustitia (de qua loquimur) quâ scilicet homo iustus apud Deum dicitur, nihil aliud est, quam rectitudo portionis intellectiuæ hominis erga Deum vt vltimum finem (vt suo loco monstrabimus) nec oppositum dicere aliquis nisi ignorans propriam vocem potest; sicut multi qui his temporibus more psittacorum de iustitia garriunt, plurimaque verba nullo præhabito suorum verborum conceptu effutiunt. Cum autem rectitudo prædicta, quæ (vt aliqualiter patefecimus) consistit in diligendo Deum super omnia, sit effectus gratię & charitatis: restat quod perinde sit dicere hominem esse iustificatum vel iustum apud Deum, quod esse gratia vel charitate donatum.

Insuper præfatis Aduersariorum autoritatibus directè pariter aduersantur omnes illæ, quæ indicant homines in hac vita perfectos esse, inter quos sequentes paucas libet referre.

Cap. 20. 4. Reg. Ezechias ait. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambula-*

Digitized by Google

ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.
1. Corinth. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Cap. 2.
Ad Philip. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.*

Quæ pauca hic allata loca sufficiāt, etsi plurima afferri possent, quibus lubens supersedeo; in quib. & consimilibus sermo fit de perfectione vitæ spiritualis, q̃ idē est, ꝙ iuste viuere & ambulare. Iam si copiosissimo numero autoritatum, quas directe & immediate testimoniis partis Aduersæ allegatis, opposuimus, adiungamus omnia illa loca ꝓ valore operum à nobis citata, ꝓcul dubio resultabit numerus testimoniorū, quæ pugnāt pro sententia Catholica, ingentissimus, & ferme imcomparabilis numero allegatorum ab Aduersariis.

Hactenus de quantitate egimus, nunc vtriusque partis locorum qualitatem discernere operæ prætium est, sed supposito quod ab eodem Spiritu S. vniuersa allegata testimonia emanauerint. & ex consequenti omnia eadem fide recipienda sint, sola claritas sententiarum ponderari debet, non autem credo aliqua vlli sit dubitatio, nec esse queat, quin pro nobis allegata iuxta illorum sensum proprium iustitiam habitualem & actualem hominis, operumque eius valorem exprimant & declarent. Restant igitur allata pro aduersa parte discutienda, & ante omnia, quæ contra actualem operum iustitiam producta sunt, inter quæ primum locum tenent ea quæ pro impossibilitate adimplendi legem Dei, siue nō peccandi (quod in idem recidit) adduximus, quæ si bene consideres, nullatenus in sensu proprio ab autoritatibus pro nobis citatis euertuntur. Pro quo aduertendum est, quod ex autoritatibus nostris de valore operum, non sequitur consummata omnibusque numeris absoluta operum rectitudo seu iustitia; bene autem illa, quæ cum defectibus leuibus & venialibus stare potest: imo dicimus (vt constat ex supradictis) nullum hominem in hoc seculo citra miraculum posse immunem à peccato veniali hanc mortalem vitam trāsigere: Vnde sequitur clare, quod nostra testimonia, non sub-

 uer-

uertunt nisi illa, quæ determinate operum iustitiam temperatam negant. Ex quo tandem liquido colligitur, quod illæ authoritates, quæ impossibilitatem adimplendi legem Dei designant; tum etiam quæ operum iustitiam negant, cum indeterminate de peccato & iniustitia loquantur, nullatenus à nostris autoritatibus subuertuntur, nec in minimo læduntur. Locus citatus Psalmi 43. nihil ad rem facit, quando-
Cap. 13. quidem agit de homine necdum iustificato, vt clare ex dictis Pauli ad Rō. 3. deducitur. Quod idē de allato testimonio Isa-
Cap. 64. iæ, nimirū facti sumus vt immundi &c. dicendū censem⁹, vel asserēdum ꝙ loquatur de immūditiis ac iniustitiis venialib⁹.

Autoritas Lucæ, cum feceritis omnia q̄ pcepta sunt vobis &c. non læditur ab autoritatib. ꝓ iustitia operum allegatis. Nā hæc cōditionalis est vera, & satis celebrata à Caluino: nimirum si aliquis adimpleat omnia mādata Dei est iustus; est tamē verum ꝙ ipse negat talē hominē posse in hac vita inueniri. Cōsequens ergo est, infallibile, ꝙ secundum Caluinum potest aliquis seruus Dei esse iustus, & tamen esse inutilis.

Cap. 15. Ex sensu vero ꝓprio locorum, Gē. Credidit Abrahā Deo, & reputatum est ei ad iustitiā. Et Pauli ad Romanos Credēti
Cap. 4. autē in eum q iustificat impium &c. tantum abest vt deducatur prætensa ab aduersariis, Iustitia Christi imputatiua, nam vnde ex eo, ꝙ fides reputatur ad iustitiā, illā scil. (de qua Paulus loquitur) qua iustificatur impius, colligitur, ꝙ iustificemur iustitia imputatiua Christi. Cum. n. sint duæ sentētiæ de iustificatione, vna illorum q tenent, ꝙ impius iustificetur iustitia extrinseca Christi: altera huic opposita, illorum nēpe q dicunt quod impius iustificetur iustitia inhærente. Sequitur manifeste, ꝙ ex reputatione fidei ad iustitiā, q̄ dicit scriptura, nō deducitur magis, ꝙ iustificemur vno mō, q̄ alio. Inepte igitur & secundum sophisma cōsequētis ex prædictis locis inferunt, ꝙ imputatiua Christi iustitia, impius iustificetur, nō minus, q̄ si quis argueret sic: Est animal, ergo est homo. Imo potius Pauli ꝓxime citata autoritas, iuxta sensum proprium, magis ꝓ iustitia inhærente videtur facere, ꝙ clare patet si textus

xtus eiusdē progressum bene perpendam*:quia in capite sequenti. 5.nēpe ad Romanos dicit, ꝙ iusti constituuntur multi, ex quo fit consequens ꝙ iustitia ad q̄ reputatur fides credentis in eum q iustificat impium, sit illa qua impius constituitur iustus. Quod si vtriusq; capitis verba coniungātur resultabit completa sententia, talis nimirum: Ei vero qui non operatur, credenti autē in eum qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiæ Dei. Cuius sententiæ planus & proprius sensus nedum iustitiæ inhærenti plurimum fauet, verum etiam illam solam exprimit & designat; quandoquidem proprie loquendo nullus potest dici iustus, nec iustus constitutus, ob iustitiam alii inhærentem, non enim iustitia est forma de sua ratione extrinseca, qualis est verbi gratia locus qui denominat proprie loquendo locatum vel in loco constitutum & tamen locato non inhæret. Consequens igitur est, ꝙ si proprie dicitur aliquis iustus vel iustus constitutus debeat à iustitia eidem inhærēte talis nuncupari. Ex dictis tandē liquet q̄ pessime mētem Pauli nostri oppositi pceperint, q̄ totam nobis aduersari non dubitant. Sed si illam quis ex textu capere voluerit facilime pōt, q̄ paucis explicabo. Doctor enim gentium occasione nacta à iactantia Iudæorum pro solatio gentilium mouet & resoluit quæstionē de iustificatione impii, in qua si textum bene ppendas supponit ꝙ iustitia qua impius est iustus constitutus apud Deum, infundatur à Deo, hoc enim clare denotant illa Pauli verba nimirum: *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum.* Consequens ergo ex illis fit ꝙ q̄o p̄dicta p̄supponat ꝙ iustitia qua impi⁹ iustus cōstituitur infūdatur à Deo. Quærit igitur Paulus, an sc. impius recipiat iustitiā pp opa vel pp qd: cū aūt ꝙ datur ex operib. nō datur ex gratia, sed poti⁹ ex debito, p̄supponēs vero Apostolus vt indubitatū, ꝙ iustitia p̄fata infundatur à Deo gratiose & ex mera misericordia; Cōcludit quod impius nō iustificatur ex operib. sed potius pp fidē in eum q iustificat impiū, nēpe Deū principaliter & Christum mediatorem *ad Rom. 4.*

 atorem

atorẽ, ſed diligẽter aduertendũ ẽ, ꝙ qa actus credẽdi ẽ opus liberi arbitrii humani, ne operib. hominis Apoſtol' aſcribere videretur valorẽ & ꝓdictã iuſtitiã ꝙ ipſe negat, nõ cõcludit abſolute ꝙ ꝑ fidẽ impius iuſtificetur, ſed tẽperatã cũ cõditione diminuente ſtatuit concluſionẽ: dicens ꝙ fides ꝓfato credẽti reputatur ad iuſtitiã ſecundũ ꝓpoſitum gratię Dei ꝙ eſt dictu q̃uis actus credẽdi ꝓtactus nõ habeat valorẽ ad ꝓfatã iuſtitiã Eſt tamẽ Deo ꝓinde dũ ex ſua miſericordia & gratia ꝓfatum actum reputat tanq̃ ſi valeret & ipſi iuſtitia ꝓdicta deberetur. Hãc eſſe genuinã mentis Pauli interpretationẽ modeſtis & non vertiginoſis capitib. ex concordia aliorũ locorũ ſac. ſcrip. plurimorũ ſatis liquebit, ſi aũt nodum in ſcirpo qs quærere voluerit certi ſumus nullam eſſe ſententiam adeo perſpicuam ſcripturæ, quæ falſis gloſſematibus detorqueri non valeat.

Quæ aũt teſtimonia exprimunt peccata nobis nõ imputari nullius momenti ſunt ꝓ Aduerſariis, nã ex non imputatione peccatorum nõ ſeqtur ꝙ imputetur aliena iuſtitia, ſed

15. 4. dem' Aduerſariis ꝙ ſequatur imputatio fidei ad iuſtitiã vt loci Geneſis & Pauli citati deſignant, nihil tamen contra nos infertur. Secundo dicimus quod peccatorum præteritorum Deus offẽſas remittens dicitur illa non imputari, quæ quia præſentia non ſunt deleri dici non poſſunt. Quocirca nullatenus ex non imputatione peccatorum ſequitur imputatio alicuius rei.

Reſtant ex autoritatib. ꝓ aduerſariis allegatis illæ q̃ Chriſtum eſſe noſtram iuſtitiã, nec nõ aliæ q̃ tecta & operta noſtra peccata declarãt, eaſq; duntaxat licet exiguo numero cõprehenſas pro aduerſariis in ſenſu proprio acceptas facere præſertim primas iudicamus.

Iã gloſſæ vtriuſq; partis ſunt comparandæ; illas aũt quas Caluiniſtæ noſtris autoritatib. de valore operũ adhibent patẽtiſſima abſurda atq; blaſphemias cõtinere ſuperius ex ꝓpoſito fuſa oratione demonſtrauim'. Quę vero operum iuſtitiã deſignãt oẽs vno mõ exponuntur à Caluino. Eſt enim mens

illius

illius, quod omnia prædicta testimonia intelligenda sint comparatiuè, & non absolutè: Hoc est dictu, quod nemo iusta opera facere potest; dicuntur tamen aliqui iusti respectu aliorum, qui sunt magis iniusti. Sed commentum hoc est manifestè falsum, & textus destructiuum, subuertitque nõ modicam sacrarum literarum partem. Nam vt constat ex textu, nullo modo concordat cum eo: sunt enim multæ autoritates, quæ hominem innocentem, immaculatum, placitum Deo & gratum asserunt. Sunt & aliæ pariter, quæ dicunt hominem omnia diuinæ legis mandata adimpleuisse, & in via Dei in toto corde, mente & anima ambulasse; hæc enim absolutè iustitiam in homine, non comparatiuè commendant, & quia hoc est euidentissimum, prætermitto.

Sunt præterea alia nostræ antithesi adiuncta loca, nimirũ in quibus reparatam esse nostram iustitiam habitualem ad statum, à quo ceciderat primus parẽs, designatur; quibus glossas applicam in terminis non inuenio; nec video, quid pro ipsis dici posset, quidnam verò excogitabunt exspecto. Reliquum ergo est, vt expositiones nostras autoritatibus pro Aduersa parte allegatis & fauentibus adhibeamus, & primò repetitas volumus, quas alij Doctores Catholici præsertim moderni, sigillatim Illustr. Cardinalis Bellarminus, adhibuerunt. Et quantum ad illa loca, quibus iustitia Christi, nostra dicitur, vel quomodocunque designetur ad nos pertinere, duplicem interpretationem dare possumus, & vtraque est vera, atque à Spiritu S. proculdubiò intenta. Vna est, quod Christus dicatur esse nostra iustitia, eo pacto, quo solemus dicere, eum qui bonum nobis præstat, esse nostrum bonum, ea de causa, nempè quia ab ipso bonum nostrum dependet. Sic pariter quia ex Christo dependet restitutio nostræ iustitiæ, asserimus, quod Christus sit nostra iustitia; aliàs si propriè esset intelligendum, pateret quod Christus esset nostra sapientia, qua sumus sapientes, quod est falsum; nam sicut dicit Paulus, quod sit nostra iustitia, sic quoque asserit esse nostram sapientiam. Item seque-

 retur:

retur quoq; quod Christus esset nostra Redemptio, qua redēpti sumus, & per consequens Christus esset redemptus, sicut mediantè sua iustitia, est iustus. Quæ cum sint manifestè falsa, dicendum est, quod Christũ esse nostram iustitiam, sapientiã & redemptionem, hoc intelligendum sit efficienter. Alterã quoque interpretationem claram textui valde consentaneã pro prædictis proximis autoritatibus, paratam habeo, quæ (vt reor) Aduersarijs cupidis veritatis sciendæ non displicebit: sed sustinere non grauentur, vsquedum etiam breuem de Iustificatione controuersiam explicemus.

Ad illa loca, de tegumento peccatorum facilis & clara responsio iuxta textum est. Fateor equidem hinc deduci aliqualem, qua sumus iusti quęcunque illa sit, expresse tamen nego, quod sit iustitia Christi: Ex quo in sacris literis clarè inuenitur, quod sit illud tegumentum, quo turpitudo peccatorum operitur, non opus est aliud quærere, & de eo solicitari. Nam scriptum est 1. Pet. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Vnde clarè patet quod Deus est tector peccatorum, sed tegumentum est gratia Spiritus S. seu charitas.

Cap. 4.

Si autem his addamus quod charitas non habeat effectum tegendi peccata, nisi quatenus hominem ex toto corde & animo ad Deum cõuertit, quod est esse deleta peccata, quantũ ad culpam, & ad minus, quantum ad æternam pœnam: restat quod tegere eiusque consimilia, hic metaphoricè sumantur, quæ solutio licet optima non tamen reddit rationem metaphoræ, nam id quod tegitur, in rei veritate videtur manere. Sed hæc nubes tollitur ex interpretatione S. Thomæ super Psalm. 31. Pro qua aduertendum est, quod illa solent tegi, quæ sordida & turpia sunt, vt ne offendant aspectum: per quoddã autem peccatum contrahimus duplicem maculam. Vnam scilicet in anima, quæ est priuatio decoris & pulchritudinis gratiæ & iustitiæ inhærentis, quæ (vt supra declarauimus) est habitualis rectitudo hominis erga Deum. Altera est actualis macula, seu deformitas actualis peccati quæ est carenti regulæ debitæ actui. Ex his deformitas quæ animæ est no

tegitur per iustificationem, sed omninò deletur & mūdatur per restitutionem gratiæ & iustitiæ; macula verò, seu deformitas actus peccati non tollitur nec tolli potest. Implicat enim contradictionem quod transacto actu peccati, tollatur ab ipso Deo deformitas & ipsius macula, & quantum ad istā peccati actualis maculam & immunditiam dicuntur hominis iustificati peccata tegi & operiri. Sed de hoc redibit sermo in alia quæstione de iustificatione, pro præsenti autem instituto dicta sufficiant.

Est quoque inter autoritates pro parte aduersa & nostras non modicum discrimen in qualitate. Nam ex interpretationibus, quas nos Catholici allegatis pro Aduersa parte testimonijs, quorum sensus proprius cum nostris pugnat nihil absonum & dissentaneum lumini naturæ oritur. Est enim cōforme quod homo creatus ad beatitudinem æternam, cum sit liberi arbitrij, tendat operibus bonis ad illam, vt quantò melius benè operatur, tantò plus de æterna felicitate percipiat. Esset etiam lumini rationis conforme vt in republica Christiana non denegetur, quod politicis rebuspublicis benè ordinatis concedimus, hoc est, vt sicut pœnæ pro malè operantibus, pariter præmia secundùm qualitatem & quātitatem operum reddantur. Cum opposito horum omnium sequātur ex Aduersariorum glossematibus, vt clarè patet, & ipsemet satis fatentur. Pariter est contra lumen naturæ quod ex eisdem glossis deduximus, nimirum quod Deus sit mendax, fictus & deceptor: Sequitur quoque ex illorum sententijs ipsique expresse profitentur, sequitur nimirùm quod nō possit homo non peccare, nec iustus à iustitiæ statu cadere. Item sequitur quod legem Dei nullus hominum præter solū primum parentem & Euam implere potuerit, & tandem debebunt concedere Aduersarij, quod lex quam Deus facit, duabus personis solū seruierit, & multa alia incōmoda sequentur, à quorum probatione barbari homines abstinerent, & quod peius est, vt farcire chartas & libros implere istis bestialibus propositionibus moderni Hæretici non vereantur.

Sed

Sed tandem vnicum Romanæ Ecclesiæ solatium restat, quæ sicut fortiores & validiores hæreses calcauit, subiecit & dissipauit, sic nedum ab hac barbara modernorum hæreticorum lue, quamuis potentissimorum Principum auxilio suffulta vindicabit, sed penitus destruet, euertet & proculcabit. Et licet satis superque nostra conclusio sit hactenus probata & corroborata, atque ideo supersedendum videatur alijs probationibus; quia tamen abundans cautela haud obest, subiungemus quasdam alias, breuissimas quidem, sed quæ efficaciter prædictam nostram conclusionem, non minus quam prædictæ confirmant & demonstrant.

ARGVMENTVM. Si bona hominis iustificati non habent valorem ad consequendum regnum cælorum, sed sola fides Christi iustitiam apprehendens: sequitur quod æqualem omnes post hanc vitam æternæ gloriæ gradum consequētur, nullaque gloriæ discretio in vno quā in alio inuenietur. Consequens est falsum, hæresisque manifesta & execrabilis; Ergo conclusio nostra vera. Huius argumenti sequela maioris est euidentissima pueris: nec fuit dubium Caluino dictæ sequelæ consequens, quinimò illud fateri cogebatur, &, vt deductum, immediatè ex sua doctrina de Iustificatione asserere. Sed non ausus fuit de illo expressam mentionem facere, imò omnes sibi oblatas occasiones loquendi de hoc puncto astutissimè pro viribus deuertit, quia populi commotionem (vt reor) timuit, ne fortè deprehensus in vna quadam horrenda & detestanda falsitate, comprobaretur in omnibus suis dogmatibus falsus. Videtur enim mihi, quod nedum fustibus expelli, verum lapidibus à populo ille mereatur obrui, qui publicè proferret, omnes Catholicos in gloria cælesti pares esse futuros. Quid? Estne credibile, quod pari & ęquali perfruatur gloria, qui noctu dieque strenuè laborauit in diuino obsequio, atque in fine insuper vitæ pro Christi nomine alacriter se exponens martyrio, vitam animamq; vnà cum sanguine profundit, quā is perfruitur, qui vitā Christianā cōmuni & consueto modo transegit?

Nun-

Nunquid Stephanus Protomartyr, Apoſtoli Eccleſiæ colũ-
næ, Ioannes Baptiſta, Beatiſſima Deipara virgo Maria, pa-
rem æternæ gloriæ portionem habebunt cum cæteris homi-
nibus? Abſit. Certè (quod res eſt fatear) hæc eſt adeò craſſa &
falſa ſententia, vt me illa ſola auerſum (ſi eſſem) à ſententia
Eccleſiæ Catholicæ ad eam amplectendam adduceret. Quod
verò eadem apertè militet contra Sacram Scripturam ſequẽ-
tia loca docent.

Iſai. *Dabo eis in domo mea locum, & nomen melius à filijs & filia-bus.* Cap. 56.

Matth. *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo* (nempe Ioanne Baptiſta.) Ex quibus euidentiſſimè patet, quod non æquales omnes in regno cœlorum, quantum ad gloriam ſint, ſed maiores & minores beati. Cap. 11.

Item Matth. *Sedere autem ad dexteram vel ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à patre meo.* Quid in hac autoritate Seſſio ad dexteram vel ad ſiniſtram deſignat, quam inæqualitatem beatitudinis & æternæ gloriæ? Cap. 20.

Ioan. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Cap. 14.

2. Corinth. *Sicut ſtella differt à ſtella in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum.* Ecce quomodo inæqualis gloria à diuerſitate ſtellarum demonſtretur. Cap. 9.

ARGVMENTVM. Si propter bona opera, non dabit Deus vitam æternam; ſequitur, quod Deus non ſit futurus Iudex omnium actuum humanorum, qui ſub iudicium cadere debent, ſed duntaxat fidei. Conſequens eſt contra S. literas: Ergò cõcluſio vera. Sequela eſt manifeſta & liquida ex eo, quia Deus non eſt iudicaturus in iudicio finali, niſi illud, per quod cuilibet paradiſus reſerabitur vel claudetur: & ſic opera iudicandorum, impertinenter & merè per accidens ad iudicium prædictum ſpectabunt. Falſitas conſequentis patet ſequentibus ſacrarum literarum teſtimonijs.

Eccleſ. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato ſiue bonum ſiue malum ſit.* Cap. 12.

 Matth.

Cap.12. Matth. *Dico autem, quod omne verbum otiosum quod locuti fuerint reddent rationem de eo in die iudicij.*

Cap.5. 2. Corinth. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gesserit, siue bona siue mala.*

Cap.20. Apoc. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*
Et infra. *Et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.*

Cap.16. Item Apoc. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.*

ARGVMENTVM. Si propter opera non datur vita æterna; sequitur quod via salutis æternæ non sit angusta. Consequens est contra Scripturam: Ergò conclusio nostra probanda vera. Sequela perspicuè deducitur ex eo, quia propter difficultatem benè operandi via salutis dicitur angusta, & propter facilitatem explendi opera carnis, quæ procedit ex naturali pronitate naturæ humanæ, via ducens ad perditionem ampla dicitur, si ergo propter opera bona non datur æterna gloria, sequitur quod ipsa non sint via ad salutem, & per consequens quod propter opera via salutis non sit angusta & stricta. Falsitas consequentis diuersis modis ex Scripturis probari posset, sed sufficiant verba Saluatoris in Euangelio, qui sic ait.

Cap. 7. Matth. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui intrant per eam!*

Cap.11. Item apud eum Matth. *Regnum cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.*

Cap.10. Mar. *Filioli, quam difficile est confidentes in pecunijs, in regnum cælorum introire! Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum.*

Cap.13. Luc. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi dico vobis, quærent intrare & non poterunt.*

ARGV

ARGVMENTVM. Per multa secula, antequam moderni hæretici in lucem prodirent, tenuit Ecclesia Catholica nostram de Valore operum sententiam, & in ipsius pacifica possessione fuit. Ergò Ecclesia Catholica non errauit; sed potius in rectissimo veritatis tramite fuit: & sic cõclusio nostra vera. Assumptum ex Caluino patet, qui tenet intolerabiliter, Ecclesiam errasse à multis seculis, & huius rei causam impingit Sorbonicis scholis, quas vocat omnium errorum matres. Præterea dictum assumptum patet ex alia parte, quia turbatio Eclesiæ à centum ferè annis & congregatio Concilij Tridentini diligentia vniuersalis capitis, & Principum Ecclesiæ cum Ecclesiasticorum tum Secularium sumpsit exordiũ propter introductam nouam doctrinam in puncto de Valore operum. Item præfatum assumptum docebunt autoritates antiquissimæ Patrum omnium vnanimiter à principio nascentis Ecclesiæ, quas infra subijciemus: Ergò assumptum verum; consequentia prima varijs modis à nobis posset probari, sed paucas sequentes nunc tantum adducemus.

Luc. *Ecce Satanas expetiuit vos vt cribaret vos sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficeret fides tua.* Cap. 22.

Matth. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Adhæc clarissimè constat Christum miro amore Ecclesiam sponsam suam amplecti, cum etiam adeò in eius amorem exarserit, vt animam pro Ecclesia in crucem actus profuderit, quod summi amoris indicium est. Qui ergò fieri potuit, vt amans tam syncerus suam amatam deseruerit, tantoque tempore sine omni spirituali pastu destitutam reliquerit, cum ei subuenire commodè potuisset? Subministrauit ergò Christus sponsus Ecclesiæ suæ sponsæ sine interruptione alimoniam spiritualem, ad vitam spiritualem sustentãdam, & fidei, veritatis, morumque optimorum doctrinam suppeditandam, non secus vt in vno corpore ex

capite in reliqua membra vitales motus deriuantur. Quapropter non modo ineptum, sed blasphemum quoque est affirmare Ecclesiam Catholicam tot centenis annis vera fide & morum disciplina fuisse spoliatam. Non minus absurdum præterea iudico asserere miraculosè in quibusdam hominibus Spiritum sanctum pro reformatione Ecclesiæ hisce extremis temporibus instituenda, cum Paulus dicat de Spiritu sancto, quod gemitibus inenarrabilibus sine intermissione pro nobis interpellet. De Christo verò, quod in omnibus auditus sit pro sua reuerentia. Sed præter hęc aliud quoddam non inualidum argumentum deduci posse video ad expellendum Aduersariorum phantasma; illud nempe, neminem maiorum nostrorum ijs seculis quibus ita desolata Ecclesia, & in tenebris vt ipsi dicunt constituta fuit, animæ salutem assecutum esse, & non minus post Christum ascensum ad cœlos cœlum obseratum fuisse quàm antea; quod licet falsissimum, & impijssimum dictu sit, attamen Aduersarij ex sua doctrina concedere coguntur, cum nemo eo tempore fidem iustificantem sine qua neminem saluari posse dicunt, habuerit. quod quid execrabiliùs & temerariùs dici potest.

Argumentum. Ecclesiæ Catholicæ vnus tantùm homo præest, qui veluti caput, habet à Christo Redemptore authoritatem supremam & generalem in illam eiusque membra inferiora, quique non potest errare in decisionibus fidei declarandis, & norma viuendi præscribenda. Sed nostra conclusio est ipsius decisio & decretum; ergo vera & infallibilis. Maiorem si modo probaremus, extra limites præsentis instituti nimium excederemus, quanquam non abs re idipsum foret. Sed quia de vno visibili vniuersalis Ecclesiæ capite breuem controuersiam expediemus, ibidem ostendemus diuino numine iuuante, esse adeò verā prædictā maiorem, quam quod detur Ecclesia illincque. Beneuolus

Lector

Lector pro sua humanitate animum suspendere non grauetur.

ARGVMENTVM. Quod ad conclusionem nostram astabiliendam adducimus, ab autoritate Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum desumptum est, qui fermè omnes tam Græci quàm Latini à nobis stant, eiusdemque nobiscum in hoc puncto sententiæ sunt. Verum cùm omnes pro hac sententia adferre auctoritates prolixum nimis sit, & metas præsentis opusculi excedere fortassis posset, nonnullas tantum ex quibusdam tum Græcis tum Latinis Patribus de verbo ad verbum in medium proferemus; idque tamen non eum in finem, vt autoritatibus Patrum opiniones Aduersariorum subuertere velimus, aut posse confidamus; cum apud ipsos Sanctorum Patrum autoritas parum vel nihil valeat. Sed quia rudi indoctæque plebeculæ imponunt; & suis falsis commentis Ecclesiam Romanam ab antiquæ Ecclesiæ institutis, & Sanctorum Patrum documentis defecisse persuadent (vt ipse Caluinus egregiè in Epistola ad Regem Franciæ suis Institutionibus præfixa facit) ideo vt technas, fraudes, & mendacia eorum detegeremus; & tam indoctis quàm doctis veritas pateret, hæc sequentia Sanctorum Patrum testimonia pro nostra sententia de Valore operum proferre constituimus, quo Ecclesia Catholica ab huiusmodi iniuria & manifesta calumnia tueatur ac vindicetur.

PATRES GRAECI.

Clemens Romanus. 90.

Constitutione Apostol. lib. 3. cap. 12. Nomen viduitatis nō introducet eas in regna cœlorum, sed potiùs vera fides & opera sancta.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Mariam Caſſobolitaen. Hortor vt labori huic tuo incrementa adijcias. Præſens namque labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur, merces.

In Epiſt. ad Rom: Sinite me vt beſtiarum eſca ſim, per quam Deum poſſim promereri.

Iuſtinus.

Apolog. 2. Homines qui dignos ſe Dei voluntate & conſilio operibus præſtiterint cum eo victuros eſſe, meritis ſuis ſumpſimus, ac regnaturos.

Dionyſius Areopagita. 100.

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 7. part. 3. Oſtendit per id quod profectò omnes in reſurrectione illas conſecuturos ſortes, ad quas hic vitam prodirexerunt: puta, ſi ad diuinam hic imaginem quiſpiam ſanctiſſimè vixerit, quantum viro poſſibile eſt Deum imitari, diuina in hoc ſæculo futuro, & beatiſſima donabitur requie: ſin autem ad ſummam illã non peruenit effigiem, ſanctè tamen ſe in vita habuit, paria & iſta meritis præmia referet.

Hermas. 130.

Lib. 1. ſimilitudines. Si præter ea quæ mandauit Dominus aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, & honoratior apud Deum eris.

Clemens Alexandrinus. 170.

Lib. 4. Deus omnibus omnia diſtribuit pro meritis, cùm iuſta ſit diſpenſatio, & œconomia.

Lib. 6. Quando audierimus *fides tua ſaluam te fecit*, non accipere abſolutè, eos ſaluos futuros, qui quomodocunque crediderint, niſi facta quoque fuerint conſecuta. Proportione habita, ſunt variæ manſiones pro dignitate & meritis eorum qui crediderunt.

In Paranætico. Ne pigeat vos laboráſſe, licet vobis, ſi velitis, pretioſiſſimam ſalutem emere proprio theſauro, charitate & fide vitæ.

Hyppolitus 220.

Oratione de conſummatione mundi. Humanus enim ſum, ſinquit Dominus, & iuſtus quoque iudex. Nam omnes pro dignitate remu-

remunerabor, omnibus pro cuiusque labore mercedem præstabo, omnibus pro suo certamine præmia rependam.

Origenes.240.

Homilia 1. in Ezechielem. Quare ægre fers niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam salutis tuæ fieri? Lib. 2. in Epist. ad Rom. Sciant iustum iudicium vnicuique reddere secundum opera sua.

Basilius Magnus.370.

Lib. de Spiritu S. cap. 24. Homo ex operibus iustitiæ saluatur. Sermone de Ascesi, hoc est, de cultu seu exercitatione Monastica. Custodientibus mandata retributio multa, merces nimirum illa copiosa est, & coronæ iustitiæ, æterna tabernacula, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile, perpetua mansio apud Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.

Homilia 12. in principium Prouerbiorum. Omnes Angelicam viam ambulantes mercatores sumus: per opera mandatorũ nobis possessionem cœlestium negotiantes.

Cyrillus Hierosolymitanus.370.

Catechesi 1. Si parum laboraueris, parum accipies: si multum operaberis, multa te merces manet.

Catechesi 15. Quomodo igitur, dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cœlorum ingrediemur? *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare*. Hæc si nunc feceris regnabis: si nõ feceris condẽnaberis.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat. in S. Baptisma extrema. Crede resurrectionem, iudicium, mercedem, ad iustam Dei lancem exigendam.

Gregorius Nyssenus.380.

Oratione 1. pro pauperibus amandis. Pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cœlesti: inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idque sempiternum.

Ioannes Chrysostomus.400.

Hom. 4. de Lazaro. Si iustus est Deus, & his, & illis, reddet pro meritis. Quod si & his, & illis rependet pro meritis; hic verò, nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam: neque hic virtutis præmia,

perspi-

retur quoq; quod Christus esset nostra Redemptio, qua redẽpti sumus, & per consequens Christus esset redemptus, sicut mediantè sua iustitia, est iustus. Quæ cum sint manifestè falsa, dicendum est, quod Christũ esse nostram iustitiam, sapientiã & redemptionem, hoc intelligendum sit efficienter. Alterã quoque interpretationem claram textui valde consentaneã pro prædictis proximis autoritatibus, paratam habeo, quæ (vt reor) Aduersarijs cupidis veritatis sciendæ non displicebit: sed sustinere non grauentur, vsquedum etiam breuem de Iustificatione controuersiam explicemus.

Ad illa loca, de tegumento peccatorum facilis & clara responsio iuxta textum est. Fateor equidem hinc deduci aliqualem, qua sumus iusti quęcunque illa sit, expressè tamen nego, quod sit iustitia Christi: Ex quo in sacris literis clarè inuenitur, quod sit illud tegumentum, quo turpitudo peccatorum operitur, non opus est aliud quærere, & de eo solicitari. Nam scriptum est 1. Pet. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Vnde clarè patet quod Deus est tector peccatorum, sed tegumentum est gratia Spiritus S. seu charitas.

Cap. 4.

Si autem his addamus quod charitas non habeat effectum tegendi peccata, nisi quatenus hominem ex toto corde & animo ad Deum cõuertit, quod est esse deleta peccata, quantũ ad culpam, & ad minus, quantum ad æternam pœnam: restat quod tegere eiusque consimilia, hic metaphoricè sumantur, quæ solutio licet optima non tamen reddit rationem metaphoræ, nam id quod tegitur, in rei veritate videtur manere. Sed hæc nubes tollitur ex interpretatione S. Thomæ super Psalm. 31. Pro qua aduertendum est, quod illa solent tegi, quæ sordida & turpia sunt, vt ne offendant aspectum: per quoddã autem peccatum contrahimus duplicem maculam. Vnam scilicet in anima, quæ est priuatio decoris & pulchritudinis gratiæ & iustitiæ inhærentis, quæ (vt supra declarauimus) est habitualis rectitudo hominis erga Deum. Altera est actualis macula, seu deformitas actualis peccati quæ est carenti regulæ debitæ actui. Ex his deformitas quæ animæ est no

tegitur per iustificationem, sed omninò deletur & mūdatur per restitutionem gratiæ & iustitiæ; macula verò, seu deformitas actus peccati non tollitur nec tolli potest. Implicat enim contradictionem quod transacto actu peccati, tollatur ab ipso Deo deformitas & ipsius macula, & quantum ad istā peccati actualis maculam & immunditiam dicuntur hominis iustificati peccata tegi & operiri. Sed de hoc redibit sermo in alia quæstione de iustificatione, pro præsenti autem instituto dicta sufficiant.

Est quoque inter autoritates pro parte aduersa & nostras non modicum discrimen in qualitate. Nam ex interpretationibus, quas nos Catholici allegatis pro Aduersa parte testimonijs, quorum sensus proprius cum nostris pugnat nihil absonum & dissentaneum lumini naturæ oritur. Est enim cōforme quod homo creatus ad beatitudinem æternam, cum sit liberi arbitrij, tendat operibus bonis ad illam, vt quantò melius benè operatur, tantò plus de æterna felicitate percipiat. Esset etiam lumini rationis conforme vt in republica Christiana non denegetur, quod politicis rebuspublicis benè ordinatis concedimus, hoc est, vt sicut pœnæ pro malè operantibus, pariter præmia secundùm qualitatem & quātitatem operum reddantur. Cum opposito horum omnium sequātur ex Aduersariorum glossematibus, vt clarè patet, & ipsemet satis fatentur. Pariter est contra lumen naturæ quod ex eisdem glossis deduximus, nimirum quod Deus sit mendax, fictus & deceptor: Sequitur quoque ex illorum sententijs ipsique expresè profitentur, sequitur nimirùm quod nō possit homo non peccare, nec iustus à iustitiæ statu cadere. Item sequitur quod legem Dei nullus hominum præter solū primum parentem & Euam implere potuerit, & tandem debebunt concedere Aduersarij, quod lex quam Deus facit, duab⁹ personis solū seruierit, & multa alia incōmoda sequentur, à quorum probatione barbari homines abstinerent, & quod peius est, vt sarcire chartas & libros implere istis bestialibus propositionibus moderni Hæretici non vereantur.

Sed

Sed tandem vnicum Romanæ Ecclesiæ solatium restat, quod sicut fortiores & validiores hæreses calcauit, subiecit & dissipauit, sic nedum ab hac barbara modernorum hæreticorum lue, quamuis potentissimorum Principum auxilio suffulta se vindicabit, sed penitus destruet, euertet & proculcabit. Et licet satis superque nostra conclusio sit hactenus probata & corroborata, atque ideo supersedendum videatur alijs probationibus; quia tamen abundans cautela haud obest, subiungemus quasdam alias, breuissimas quidem, sed quæ efficaciter prætactam nostram conclusionem, non minus quam prædictæ cõfirmant & demonstrant.

ARGVMENTVM. Si bona hominis iustificati non habent valorem ad consequendum regnum cælorum, sed sola fides Christi iustitiam apprehendens: sequitur quod æqualem omnes post hanc vitam æternæ gloriæ gradum consequẽtur, nullaque gloriæ discretio in vno quã in alio inuenietur. Consequens est falsum, hæresisque manifesta & execrabilis; Ergo conclusio nostra vera. Huius argumenti sequela maioris est euidentissima pueris: nec fuit dubium Caluino dictæ sequelæ consequens, quinimò illud fateri cogebatur, &, vt deductum, immediatè ex sua doctrina de Iustificatione asserere. Sed non ausus fuit de illo expressam mentionem facere, imò omnes sibi oblatas occasiones loquendi de hoc puncto astutissimè pro viribus deuertit, quia populi commotionem (vt reor) timuit, ne fortè deprehensus in vna quadam horrenda & detestanda falsitate, comprobaretur in omnibus suis dogmatibus falsus. Videtur enim mihi, quod nedum fustibus expelli, verùm lapidibus à populo ille mereatur obrui, qui publicè proferret, omnes Catholicos in gloria cælesti pares esse futuros. Quid? Estne credibile, quod pari & ęquali perfruatur gloria, qui noctu dieque strenuè laborauit in diuino obsequio, atque in fine insuper vitæ pro Christi nomine alacriter se exponens martyrio, vitam animamq; vnà cum sanguine profundit, quã is perfruitur, qui vitã Christianã cõmuni & consueto modo transegit?

Nun-

Nunquid Stephanus Protomartyr, Apostoli Ecclesiæ colũnæ, Ioannes Baptista, Beatissima Deipara virgo Maria, parem æternæ gloriæ portionem habebunt cum cæteris hominibus? Absit. Certè (quod res est fatear) hæc est adeò crassa & falsa sententia, vt me illa sola auersum (si essem) à sententia Ecclesiæ Catholicæ ad eam amplectendam adduceret. Quod verò eadem apertè militet contra Sacram Scripturam sequẽtia loca docent.

Isai. *Dabo eis in domo mea locum, & nomen melius à filijs & filiabus.* Cap. 56.

Matth. *Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo* (nempe Ioanne Baptista.) Ex quibus euidentissimè patet, quod non æquales omnes in regno cœlorum, quantum ad gloriam sint, sed maiores & minores beati. Cap. 11.

Item Matth. *Sedere autem ad dexteram vel sinistram meam, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à patre meo.* Quid in hac autoritate Sessio ad dexteram vel ad sinistram designat, quam inæqualitatem beatitudinis & æternæ gloriæ? Cap. 20.

Ioan. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Cap. 14.

2. Corinth. *Sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Ecce quomodo inæqualis gloria à diuersitate stellarum demonstretur. Cap. 9.

ARGVMENTVM. Si propter bona opera, non dabit Deus vitam æternam; sequitur, quod Deus non sit futurus Iudex omnium actuum humanorum, qui sub iudicium cadere debent, sed duntaxat fidei. Consequens est contra S. literas: Ergò cõclusio vera. Sequela est manifesta & liquida ex eo, quia Deus non est iudicaturus in iudicio finali, nisi illud, per quod cuilibet paradisus reserabitur vel claudetur: & sic opera iudicandorum, impertinenter & merè per accidens ad iudicium prædictum spectabunt. Falsitas consequentis patet sequentibus sacrarum literarum testimonijs.

Eccles. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum siue malum sit.* Cap. 12.

Cap.12. Matth. *Dico autem, quod omne verbum otiosum quod locuti fuerint reddent rationem de eo in die iudicij.*

Cap.5. 2. Corinth. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gesserit, siue bona siue mala.*

Cap.20. Apoc. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Et infra. *Et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.*

Cap.16. Item Apoc. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.*

ARGVMENTVM. Si propter opera non datur vita æterna; sequitur quod via salutis æternæ non sit angusta. Consequens est contra Scripturam: Ergò conclusio nostra probanda vera. Sequela perspicuè deducitur ex eo, quia propter difficultatem benè operandi via salutis dicitur angusta, & propter facilitatem explendi opera carnis, quæ procedit ex naturali pronitate naturæ humanæ, via ducens ad perditionem ampla dicitur, si ergo propter opera bona non datur æterna gloria, sequitur quod ipsa non sint via ad salutem, & per consequens quod propter opera via salutis non sit angusta & stricta. Falsitas consequentis diuersis modis ex Scripturis probari posset, sed sufficiant verba Saluatoris in Euangelio, qui sic ait.

Cap. 7. Matth. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui intrant per eam!*

Cap.11. Item apud eum Matth. *Regnum cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.*

Cap.10. Mar. *Filioli, quam difficile est confidentes in pecunijs, in regnum cælorum introire! Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum.*

Cap.13. Luc. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi dico vobis, quærent intrare & non poterunt.*

ARGVMENTVM. Per multa secula, antequam moderni hæretici in lucem prodirent, tenuit Ecclesia Catholica nostram de Valore operum sententiam, & in ipsius pacifica possessione fuit. Ergò Ecclesia Catholica non errauit; sed potius in rectissimo veritatis tramite fuit: & sic cõclusio nostra vera. Assumptum ex Caluino patet, qui tenet intolerabiliter, Ecclesiam errasse à multis seculis, & huius rei causam impingit Sorbonicis scholis, quas vocat omnium errorum matres. Præterea dictum assumptum patet ex alia parte, quia turbatio Eclesiæ à centum ferè annis & congregatio Concilij Tridentini diligentia vniuersalis capitis, & Principum Ecclesiæ cum Ecclesiasticorum tum Secularium sumpsit exordiũ propter introductam nouam doctrinam in puncto de Valore operum. Item præfatum assumptum docebunt autoritates antiquissimæ Patrum omnium vnanimiter à principio nascentis Ecclesiæ, quas infra subijciemus: Ergò assumptum verum; consequentia prima varijs modis à nobis posset probari, sed paucas sequentes nunc tantum adducemus.

Luc. *Ecce Satanas expetiuit vos vt cribaret vos sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficeret fides tua.* Cap. 22.

Matth. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Adhæc clarissimè constat Christum miro amore Ecclesiam sponsam suam amplecti, cum etiam adeò in eius amorem exarserit, vt animam pro Ecclesia in crucem actus profuderit, quod summi amoris indicium est. Qui ergò fieri potuit, vt amans tam syncerus suam amatam deseruerit, tantoque tempore sine omni spirituali pastu destitutam reliquerit, cum ei subuenire commodè potuisset? Subministrauit ergò Christus sponsus Ecclesiæ suæ sponsæ sine interruptione alimoniam spiritualem, ad vitam spiritualem sustentãdam, & fidei, veritatis, morumque optimorum doctrinam suppeditandam, non secus vt in vno corpore ex

capite in reliqua membra vitales motus deriuantur. Quapropter non modo ineptum, sed blasphemum quoque est affirmare Ecclesiam Catholicam tot centenis annis vera fide & morum disciplina fuisse spoliatam. Non minus absurdum præterea iudico asserere miraculosè in quibusdam hominibus Spiritum sanctum pro reformatione Ecclesiæ hisce extremis temporibus instituenda, cum Paulus dicat de Spiritu sancto, quod gemitibus inenarrabilibus sine intermissione pro nobis interpellet. De Christo verò, quo in omnibus auditus sit pro sua reuerentia. Sed præter hęc aliud quoddam non inualidum argumentum deduci posse video ad expellendum Aduersariorum phantasma; illud nempe, neminem maiorum nostrorum ijs seculis quibus ita desolata Ecclesia, & in tenebris vt ipsi dicunt constituta fuit, animæ salutem assecutum esse, & non minus post Christum ascensum ad cœlos cœlum obseratum fuisse quàm antea; quod licet falsissimum, & impijssimum dictu sit, attamen Aduersarij ex sua doctrina concedere coguntur, cum nemo eo tempore fidem iustificantem sine qua neminem saluari posse dicunt, habuerit: quod quid execrabiliùs & temerariùs dici potest.

Argumentum. Ecclesiæ Catholicæ vnus tantùm homo præest, qui veluti caput, habet à Christo Redemptore authoritatem supremam & generalem in illam eiusque membra inferiora, quique non potest errare in decisionibus fidei declarandis, & norma viuendi præscribenda. Sed nostra conclusio est ipsius decisio & decretum; ergo vera & infallibilis. Maiorem si modo probaremus, extra limites præsentis instituti nimium excederemus, quanquam non abs re idipsum foret. Sed quia de vno visibili vniuersalis Ecclesiæ capite breuem controuersiam expediemus, ibidem ostendemus diuino numine iuuante, esse adeò verã prædictã maiorem, quam quod detur Ecclesia illincque. Beneuolus

Lector

Lector pro sua humanitate animum suspendere non grauetur.

ARGVMENTVM. Quod ad conclusionem nostram stabiliendam adducimus, ab autoritate Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum desumptum est, qui fermè omnes tam Græci quàm Latini à nobis stant, eiusdemque nobiscum in hoc puncto sententiæ sunt. Verum cùm omnes pro hac sententia adferre auctoritates prolixum nimis sit, & metas præsentis opusculi excedere fortassis posset, nonnullas tantum ex quibusdam tum Græcis tum Latinis Patribus de verbo ad verbum in medium proferemus; idque tamen non eum in finem, vt autoritatibus Patrum opiniones Aduersariorum subuertere velimus, aut posse confidamus; cum apud ipsos Sanctorum Patrum autoritas parum vel nihil valeat. Sed quia rudi indoctæque plebeculæ imponunt; & suis falsis commentis Ecclesiam Romanam ab antiquæ Ecclesiæ institutis, & Sanctorum Patrum documentis defecisse persuadent (vt ipse Caluinus egregiè in Epistola ad Regem Franciæ suis Institutionibus præfixa facit) ideo vt technas, fraudes, & mendacia eorum detegeremus, & tam indoctis quàm doctis veritas pateret, hæc sequentia Sanctorum Patrum testimonia pro nostra sententia de Valore operum proferre constituimus, quo Ecclesia Catholica ab huiusmodi iniuria & manifesta calumnia tueatur ac vindicetur.

PATRES GRAECI.

Clemens Romanus. 90.

Constitutione Apostol. lib. 3. cap. 12. Nomen viduitatis nō introducet eas in regna cœlorum, sed potiùs vera fides & opera sancta.

 Igna-

Ignatius. 108.

Epiſtola ad Mariam Caſſoboliten. Hortor vt labori huic tuo incremẽta adijcias. Præſens namque labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur, merces.

In Epiſt. ad Rom: Sinite me vt beſtiarum eſca ſim, per quam Deum poſſim promereri.

Iuſtinus.

Apolog. 2. Homines qui dignos ſe Dei voluntate & conſilio operibus præſtiterint cum eo victuros eſſe, meritis ſuis ſumpſimus, acregnaturos.

Dionyſius Areopagita. 100.

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 7. part. 3. Oſtendit per id quod profectò omnes in reſurrectione illas conſecuturos ſortes, ad quas hic vitam prodirexerunt: puta, ſi ad diuinam hic imaginem quiſpiam ſanctiſſimè vixerit, quantum viro poſſibile eſt Deum imitari, diuina in hoc ſæculo futuro, & beatiſſima donabitur requie: ſin autem ad ſummam illã non peruenit effigiem, ſanctè tamen ſe in vita habuit, paria & iſta meritis præmia referet.

Hermas. 130.

Lib. 1. ſimilitudines. Si præter ea quæ mandauit Dominus aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, & honoratior apud Deum eris.

Clemens Alexandrinus. 170.

Lib. 4. Deus omnibus omnia diſtribuit pro meritis, cùm iuſta ſit diſpenſatio, & œconomia.

Lib. 6. Quando audierimus *fides tua ſaluam te fecit*, non accipere abſolutè, eos ſaluos futuros, qui quomodocunque crediderint, niſi facta quoque fuerint conſecuta. Proportione habita, ſunt variæ manſiones pro dignitate & meritis eorum qui crediderunt.

In Paranætico. Ne pigeat vos laboráſſe, licet vobis, ſi velitis, pretioſiſſimam ſalutem emere proprio theſauro, charitate & fide vitæ.

Hyppolitus 220.

Oratione de conſummatione mundi. Humanus enim ſum, inquit Dominus, & iuſtus quoque iudex. Nam omnes pro dignitate remu-

remunerabor, omnibus pro cuiusque labore mercedem præstabo, omnibus pro suo certamine præmia rependam.

Origenes.240.

Homilia 1. in Ezechielem. Quare ægre fers niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam salutis tuæ fieri? Lib. 2. in Epist. ad Rom. Sciant iustum iudicium vnicuique reddere secundum opera sua.

Basilius Magnus.370.

Lib. de Spiritu S. cap. 24. Homo ex operibus iustitiæ saluatur. Sermone de Ascesi, hoc est, de cultu seu exercitatione Monastica. Custodientibus mandata retributio multa, merces nimirum illa copiosa est, & coronæ iustitiæ, æterna tabernacula, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile, perpetua mansio apud Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.

Homilia 12. in principium Prouerbiorum. Omnes Angelicam viam ambulantes mercatores sumus: per opera mandatorũ nobis possessionem cœlestium negotiantes.

Cyrillus Hierosolymitanus.370.

Catechesi 1. Si parum laboraueris, parum accipies: si multum operaberis, multa te merces manet.

Catechesi 15. Quomodo igitur, dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cœlorum ingrediemur? *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare.* Hæc si nunc feceris regnabis: si nõ feceris condẽnaberis.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat. in S. Baptisma extrema. Crede resurrectionem, iudicium, mercedem, ad iustam Dei lancem exigendam.

Gregorius Nyssenus.380.

Oratione 1. pro pauperibus amandis. Pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cœlesti: inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idque sempiternum.

Ioannes Chrysostomus.400.

Hom. 4. de Lazaro. Si iustus est Deus, & his, & illis, reddet pro meritis. Quod si & his, & illis rependet pro meritis; hic verò, nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam: neque hic virtutis præmia, perspi-

perſpicuum eſt, reſtare tempus aliud, in quo congruens præmium horum vterque ferat.

Hom. 16. in Matth. Fac bene & operare iuſtitiam, vt ſpem habeas apud Deum, & non deſperabis in terra. Bona enim opera ſunt, quæ ſperare faciunt, & mala opera deſperare compellunt.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Hiſtoriæ Barlaam & Ioſaphat cap. 11. Hæc alia huius generis bona opera, tanquam gradus & ſcalæ inter ſe cohærentes, atque aliæ ab alijs ſuffultæ, animum in cœlum ſubuehunt.

Simeon Metaphraſtes. 970.

In vita Theodoſij Cœnobiarchiæ. Quomodo oculis apprehendemus terribilem illum & inſignem diem Domini, in quo eos quidẽ, qui dexteræ Domini per bonas appropinquant actiones excipiet regnum Domini: eos verò qui ad ſiniſtram ſunt abiecti, propterea quod à bonis deſerti ſunt operibus, abſcondet gehenna ignis, & tenebræ æternæ, & ſtridor dentium.

PATRES LATINI.

Tertullianus 200.

In lib. de Reſurrectione carnis cap. 48. Ordo meritorum diſpoſitorum nomine diſponetur: merita autem cum corpori quoque adſcribatur, ordo quoque corporum diſponatur neceſſe eſt, vt poſſit eſſe meritorum.

Cyprianus 250.

Lib. 4. epiſt. 6. ad Thibaritanos. Euchariſtiæ memor quæ Domini corpus accepit, ipſum complectatur, poſtea à Domino ſumptura præmium cœleſtium coronarum.

Lib. 5. Epiſtolarum epiſt. 12. Reddet tibi Dominus pro iſta tua charitate mercedem, & huius tam boni repenſabit debitam frugem. Non minus enim coronæ condignus eſt, qui hortatus eſt quàm qui & paſſus eſt.

De vnitate Eccleſiæ. Iuſtitia opus eſt, vt promereri quis poſſit Deũ, præceptis eius & monitis optemperandum eſt, vt accipiant merita noſtra mercedem.

De opere & eleemoſynis. Nuſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit.

Hila-

Hilarius. 350.

Et hæc rectè perfectéque viuentium merces est, vt in nouam cœlestémque substantiam ex hac corruptibilis corporis materia transferantur, & corruptio terrena cœlesti incorruptione mutetur.

Can.6.De nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandúmque est aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malumque omne vitemus, totoque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus.

Ambrosius. 370.

Serm. 3. in Psa.118.Si enim Dauid remunerationem à Domino Deo suo pro egregiis laboribus postulet.Prærogatiua est fidei atque iustitiæ de Domini fauore mercedem expectare.

Serm.14.in eundem Psalmum; Euidentissime deprehenditur nō in hoc sæculo,sed in futuro repositam nostrorum remunerationem meritorum.

Lib.1.de Officiis cap.15.Nonne euidens est,meritorum aut præmia, aut supplicia post mortem manere?

Hieronymus. 390.

In cap.1.Isaiæ.Liberum seruat arbitrium,vt in vtramque partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel pœna vel præmium sit.

Lib. 2. aduersus Iouinianum. Iam nostri laboris est, pro diuersitate virtutum,diuersa nobis præmia præparare,

In cap. 49. Isaiæ. Nec statim si nos non credimus impossibilis Deus est: sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iuste voluntas præmium consequatur.

Augustinus. 400.

Epist.105.ad Sixtum.Nullane sunt merita iustorum? sunt planè, quia iusti sunt,sed vt iusti fierent,merita non fuerunt.

Et infra.Sicut merito peccati, tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ,tanquam stipendium vita æterna.

Epist.52.ad Macedonium. Quatuor virtutibus diuinitus impartitis, & bona vita nunc agitur,& postea præmium eius, quæ nisi æterna esse non potest,beata vita persoluitur.

Lib.de perfectione Iustitiæ.Post hanc vitam merces perficiens redditur,sed eis tantum,à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur.

Lib.de moribus Ecclesiæ cap.25.Vita æterna est totū præmium, cu-

ius promissione gaudemus. Nec præmium potest præcedere merita, & prius homini dari quam dignus.

Sermone 39. de verbis Domini. *Declina à malo, & fac bonum*. Et cũ hoc feceris, securus expecta vitam: & tunc bona fronte dices: Domine feci quod iussisti, redde quod promisisti.

In tract. 3. in Ioannem. Cum promerueris Deum viuendo ex fide, accipies præmium immortalitatem.

Et infra. Vt autem susciperet gratiam, misericordem Patrem opus habebat: vt præmium gratiæ, iustum iudicem.

Celestinus. 425.

In epist. ad Gallos. Tanta erga nos homines est bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona, atque pro his quæ largitus est præmia æterna sit donaturus.

Prosper 450.

Responsione ad cap. 6. Gallorum. Iustificatus homo, id est, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. Moral. cap. 31. Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.

Lib. 7. cap. 13. Qui promerendæ vitæ mercedem bene agendo non prouidet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de iustis per Psalmistam dicitur. *Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos suos.* Ad examen quippe iudicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt.

Bernardus. 1130.

Sermone 68. in Cant. Merita habere cures, habita data noueris: perniciosa paupertas, penuria meritorum.

Serm. 8. in Cant. Omne quod feceris, bonum, malumue quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum deputatur.

Eandem nostram sententiam Concilia sequentia manifestissime declarant.

Consilium Arausicanum. 440.

Can. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiat.

Hoc idem Concilium Lateranense Oecumenicum anno 1215. in cap. de Summa Trinitate, & Fide Catholica tenet.

Non

Non solum, inquit, virgines & continentes, verum etiam coniugatæ per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

Præterea Concilium Florentinum, & Oecumenicum in decreto de Purgatorio idem confirmat, inquiens, animas quæ nihil expiandum habent in cœlo mox recipi, Deumque videre pro meritorum diuersitate alium alio clarius atque perfectius.

Tandem S. Synodus Tridentina Sess. 6. cap. 16. & can. 26. & 32. de meritis iustorum asserens infallibiliter atque euidenter idem comprobat & confirmat, cuius verba Aduersariis sat nota esse iudico, vt citatione opus minime sit.

En pie Lector, quid in puncto de Valore operum tota veneranda antiquitas senserit: nihil enim aliud Sancti Patres vnquam protulerũt, aut typis mandatum posteritati reliquerunt, quam hoc idem, quod nos in conclusione nostra expressimus, & bene perpendas ex ipsis quosdam cum Apostolis & vixisse & conuersatos fuisse. Vnde ab iisdem in præcipuis punctis Christianæ Religionis lactatos instructos & edoctos fuisse, nobisque eandem fidei & morum doctrinam, quam à columnis Ecclesiæ receperunt, fideliter tradidisse quis dubitabit? Cùm igitur ab exordio nascentis Ecclesiæ nostra sententia semper fuerit pronunciata & decantata, hactenusq; propagata, maximum argumentum est, verissimam eam esse, partemque Aduersam Religionem veteram, quemadmodum in noua & insolita, sic in falsa & execrabilia dogmata permutasse.

Vltimum Argumentum. Per sententiam Caluini & suorum abducuntur fideles à bonorum operum exercitio & frequentia: ergo est detestanda, & ad infernum vnde prodiit extirpanda. Assumptum patet ex eo primo, quia cum Aduersarii per solam fidem impios iustificari dicãt: item quemcunq; iustificatum debere esse certum de sua iustitia asserãt, necnon quod ab illa nullus semel iustificatus cadere possit, sequitur quod quisque iustificatus secure & tranquille viuere possit, nec satagere debeat vt bonis operibus illorumque frequentia manu teneat ius hæreditatis vitæ æternæ. Deest igitur cuilibet iustificato impulsiuum ad frequentiam bonorum operum. Secundo hoc idem deducitur, quia iuxta sententiam prædictorum nullum datur augmentum gloriæ. Deest ergo allectiuum iustificatis ad exercenda opera bona, quandoquidẽ sit quisq; ex iustificatis certus, quod non plus accipiat in futura vita, quanto feruentius & crebrius in Dei obsequium operatus fuerit.

Huic argumento respondet Caluinus lib. 3. instit. sed prius protestatur de iniuriis à Papistis illatis & respondens longam instituit vulpinam concionem, cuius responsio ad summam reducta in eo stat, quod nullis possint homines incitari stimulis acrioribus ad bene operãdum, quam ab eorum redemptione ac vocatione. Item ab exemplo & imitatione Christi, amplius ab eo quod iustificati templa sint Spiritus Sancti, quæ nefas est prophanari. Insuper à dilectione qua Deus nos est prosecutus & alia id genus incitamenta bonorum operum Caluinus prosequitur. Sed si pie Lector naturam liberam defectibilem qualis est creata consideres, præsertim debilem ac attenuatam post peccatum Adæ humanam, deprehendes mirabilem socium in rebus seriis pertractandis fuisse Caluinum, quanto enim maioris ponderis aliqua fuerit, plus iocari & nugari, pauperesque simplices illudere sub specie tamen & velamine pietatis comperies. Quis enim dubitat egregia esse incitamenta ad bene operandum, quæ ipse proponit? sed cui non patet vniuersæ concioni Caluini præponderare, si aliquis moneatur ad non peccandum præponendo illi vitam æternam & perpetuam damnationem? videtur mihi Caluinum simulare se secum & quia hoc apud omnes est constitutissimum nedum in Repub. Christiana, verum etiam in Polytica vt experientia euidentissima comprobamus, nimirum quod plus homines saltem pro maiori parte illorũ arceantur à malo & inducuntur ad bonum respectiue nempe; Christianum Politicum & Oeconomicum plura verba de hoc facere impertinens iudico. Hactenus de conclusione prima eiusque probationibus sufficiant.

2. Conclusio Homo vt de facto per passionem & mortem Christi est iustificatus, per opera bona quæ facit, de condigno meretur vitam æternam; quæ conclusio nouis probationibns non indiget. Constat enim ex dictis in præambularibus articulis, quod homo in gratia & charitate constitutus patrando bona opera meretur vitam æternam de condigno. Item monstratum est in hoc articulo restitutam esse homini iustificato rectitudinem seu iustitiã supernaturalem, in qua protoparẽs fuit constitutus, antequam peccando Deum offenderet, quam iustitiã, gratiã seu charitatem vocamus. Est igitur allata cõclusio solida & firma.

Restat vltima pars huius operis, vt eidem finem imponamus, expedienda, nimirũ vt aduersatorum argumentis satisfaciamus, sed ab hoc onere liberum me iudico; cum quia ex dictis abundantissime satisfactum manet omnibus obiectionibus, quibus solutiones quisque mediocriter exercitatus sine negotio, & singulis adhibere potest: tum prin-

cipaliter, quia per generale argumentum fundatum in antithesi eximor ab omni cura & solicitudine adhibendi glossas illis autoritatibus, quæ in sensu proprio mihi opponentur. Demonstratum enim euidenter est, quod non sint reiiciendæ in sensu proprio. Ergo patentissime liquet, quod iuxta sensum proprium obiectæ, falsum concludunt.

Attamen ne in aliquo deesse videar loca nobis ab ipsis obiecta breuiter refutabo.

Primum argumentum desumitur ab omnibus locis ad Rom. & Gal. in quibus dicitur quod non iustificemur ex operibus, sed ex gratia Dei: ergo opera sunt iniusta, ergo ad vitam æternam consequendam valorẽ nõ habent, neque creditur Deum pactum iniuisse dandi vitam ęternam facienti bona opera iniusta. Respondetur quod ex gratia Dei iustificamur, id est, iustitiam recipimus qua sumus iusti (vt declaratum habeo) quare negatur prima consequentia.

Secundum argumentum desumitur ab authoritatibus illis quæ vitam æternam dari ex misericordia & gratia Dei dicunt. Fateor quidem dari ex diuina misericordia, sed non ex sola misericordia, pendet enim ex nostro libero arbitrio nos ad vitam æternam conformari (vt demonstratum est.) Scriptum est enim qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Et Adam cecidit, & Angeli ceciderunt, vnde opera bona necessario requiruntur & valorem habent ius ad vitam æternã & augmentum illius, conseruandi, ex gratia tamen diuina. Si autem ex quibusdam locis deduci videatur quod humana salus mere ex gratia habeatur, responsio plana est quod loquantur de illa salute quæ infirmitati impietatis & peccati opponitur, quæ est iustitia qua impius iustificatur, quod ex eo sibi illucescet, quia referunt se prędicta loca ad salutem qua sumus salui in hac vita degentes. *Matth. 10.*

Tertio opponit Caluinus locum Isaiæ supra citatum: Omnes sitientes venite ad aquas, &c. Respondetur quod dato & non concesso quod nomine vini & lactis intelligatur vita æterna, nihil contra nos: Primo quia loquitur de non addictis ad vitam æternam, isti autem sunt nõ iustificati & tales absq; operum valore accipiunt gratiam & iustitiam qua habent ius ad vitam æternam. Secundo dico quod iugulat seipsum Caluinus, nõ enim dicit Spiritus Sanctus: accipite vinum & lac sed emite, emere autem absque commutatione intelligi non potest, cum autem ex alia parte addit quod *absque commutatione* superest manifeste, quod mentis Spiritus Sancti reducenda sit ad medium: tale nempe quod interueniat commutatio, in qua nos damus operum substantiam, sed solus Deus dat eis valorem.

 Quar-

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Mariam Caſſoboliten. Hortor vt labori huic tuo incrementa adijcias. Præſens namque labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur, merces.

In Epiſt. ad Rom: Sinite me vt beſtiarum eſca ſim, per quam Deum poſſim promereri.

Iuſtinus.

Apolog. 2. Homines qui dignos ſe Dei voluntate & conſilio operibus præſtiterint cum eo victuros eſſe, meritis ſuis ſumpſimus, ac regnaturos.

Dionyſius Areopagita. 100.

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 7. part. 3. Oſtendit per id quod profectò omnes in reſurrectione illas conſecuturos ſortes, ad quas hic vitam prodirexerunt: puta, ſi ad diuinam hic imaginem quiſpiam ſanctiſſimè vixerit, quantum viro poſſibile eſt Deum imitari, diuina in hoc ſæculo futuro, & beatiſſima donabitur requie: ſin autem ad ſummam illā non peruenit effigiem, ſanctè tamen ſe in vita habuit, paria & iſta meritis præmia referet.

Hermas. 130.

Lib. 1. ſimilitudines. Si præter ea quæ mandauit Dominus aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, & honoratior apud Deum eris.

Clemens Alexandrinus. 170.

Lib. 4. Deus omnibus omnia diſtribuit pro meritis, cum iuſta ſit diſpenſatio, & œconomia.

Lib. 6. Quando audierimus *fides tua ſaluam te fecit*, non accipere abſolutè, eos ſaluos futuros, qui quomodocunque crediderint, niſi facta quoque fuerint conſecuta. Proportione habita, ſunt variæ manſiones pro dignitate & meritis eorum qui crediderunt.

In Paranætico. Ne pigeat vos laboraſſe, licet vobis, ſi velitis, pretioſiſſimam ſalutem emere proprio theſauro, charitate & fide vitæ.

Hyppolitus 220.

Oratione de conſummatione mundi. Humanus enim ſum, inquit Dominus, & iuſtus quoque iudex. Nam omnes pro dignitate remu-

remunerabor, omnibus pro cuiusque labore mercedem præstabo, omnibus pro suo certamine præmia rependam.

Origenes.240.

Homilia 1. in Ezechielem. Quare ægre fers niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam salutis tuæ fieri? Lib. 2. in Epist. ad Rom. Sciant iustum iudicium vnicuique reddere secundum opera sua.

Basilius Magnus.370.

Lib. de Spiritu S. cap. 24. Homo ex operibus iustitiæ saluatur. Sermone de Ascesi, hoc est, de cultu seu exercitatione Monastica. Custodientibus mandata retributio multa, merces nimirum illa copiosa est, & coronæ iustitiæ, æterna tabernacula, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile, perpetua mansio apud Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.

Homilia 12. in principium Prouerbiorum. Omnes Angelicam viam ambulantes mercatores sumus: per opera mandatorũ nobis possessionem cœlestium negotiantes.

Cyrillus Hierosolymitanus.370.

Catechesi 1. Si parum laboraueris, parum accipies: si multum operaberis, multa te merces manet.

Catechesi 15. Quomodo igitur, dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cœlorum ingrediemur? *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare.* Hæc si nunc feceris regnabis: si nõ feceris condẽnaberis.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat. in S. Baptisma extrema. Crede resurrectionem, iudicium, mercedem, ad iustam Dei lancem exigendam.

Gregorius Nyssenus.380.

Oratione 1. pro pauperibus amandis. Pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cœlesti: inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idque sempiternum.

Ioannes Chrysostomus.400.

Hom. 4. de Lazaro. Si iustus est Deus, & his, & illis, reddet pro meritis. Quod si & his, & illis rependet pro meritis; hic verò, nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam: neque hic virtutis præmia, perspi-

perspicuum est, restare tempus aliud, in quo congruens præmium horum vterque ferat.

Hom. 16. in Matth. Fac bene & operare iustitiam, vt spem habeas apud Deum, & non desperabis in terra. Bona enim opera sunt, quæ sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt.

Ioannes Damascenus. 730.

Historiæ Barlaam & Iosaphat cap. 11. Hæc alia huius generis bona opera, tanquam gradus & scalæ inter se cohærentes, atque aliæ ab alijs suffultæ, animum in cœlum subuehunt.

Simeon Metaphrastes. 970.

In vita Theodosij Cœnobiarchæ. Quomodo oculis apprehendemus terribilem illum & insignem diem Domini, in quo eos quidē, qui dexteræ Domini per bonas appropinquant actiones, excipiet regnum Domini: eos verò qui ad sinistram sunt abiecti, propterea quod à bonis deserti sunt operibus, abscondet gehenna ignis, & tenebræ æternæ, & stridor dentium.

PATRES LATINI.

Tertullianus 200.

In lib. de Resurrectione carnis cap. 48. Ordo meritorum dispositorum nomine disponetur: merita autem cum corpori quoque adscribatur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, vt possit esse meritorum.

Cyprianus 250.

Lib. 4. epist. 6. ad Thibaritanos. Eucharistiæ memor quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postea à Domino sumptura præmium cœlestium coronarum.

Lib. 5. Epistolarum epist. 12. Reddet tibi Dominus pro ista tua charitate mercedem, & huius tam boni repensabit debitam frugem. Non minus enim coronæ condignus est, qui hortatus est quam qui & passus est.

De vnitate Ecclesiæ. Iustitia opus est, vt promereri quis possit Deū, præceptis eius & monitis optemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.

De opere & eleemosynis. Nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.

Hila-

Hilarius. 350.

Et hæc rectè perfectèque viuentium merces est, vt in nouam cœlestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materia transferantur, & corruptio terrena cœlesti incorruptione mutetur.

Can. 6. De nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malumque omne vitemus, totoque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus.

Ambrosius. 370.

Serm. 3. in Psa. 118. Si enim Dauid remunerationem à Domino Deo suo pro egregiis laboribus postulet. Prærogatiua est fidei atque iustitiæ de Domini fauore mercedem expectare.

Serm. 14. in eundem Psalmum; Euidentissime deprehenditur nō in hoc sæculo, sed in futuro repositam nostrorum remunerationem meritorum.

Lib. 1. de Officiis cap. 15. Nonne euidens est, meritorum aut præmia, aut supplicia post mortem manere?

Hieronymus. 390.

In cap. 1. Isaiæ. Liberum seruat arbitrium, vt in vtramque partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum vel pœna vel præmium sit.

Lib. 2. aduersus Iouinianum. Iam nostri laboris est, pro diuersitate virtutum, diuersa nobis præmia præparare,

In cap. 49. Isaiæ. Nec statim si nos non credimus impossibilis Deus est: sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iuste voluntas præmium consequatur.

Augustinus. 400.

Epist. 105. ad Sixtum. Nullane sunt merita iustorum? sunt planè, quia iusti sunt, sed vt iusti fierent, merita non fuerunt.

Et infra. Sicut merito peccati, tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ, tanquam stipendium vita æterna.

Epist. 52. ad Macedonium. Quatuor virtutibus diuinitus impartitis, & bona vita nunc agitur, & postea præmium eius, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persoluitur.

Lib. de perfectione Iustitiæ. Post hanc vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum, à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur.

Lib. de moribus Ecclesiæ cap. 25. Vita æterna est totū præmium, cu-

ius promiſſione gaudemus. Nec præmium poteſt præcedere merita, & prius homini dari quam dignus.

Sermone 39. de verbis Domini. *Declina à malo, & fac bonum.* Et cũ hoc feceris, ſecurus expecta vitam: & tunc bona fronte dices: Domine feci quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti.

In tract. 3. in Ioannem. Cum promerueris Deum viuendo ex fide, accipies præmium immortalitatem.

Et infra. Vt autem ſuſciperet gratiam, miſericordem Patrem opus habebat: vt præmium gratiæ, iuſtum iudicem.

Celeſtinus. 425.

In epiſt. ad Gallos. Tanta erga nos homines eſt bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona, atque pro his quæ largitus eſt præmia æterna ſit donaturus.

Proſper. 450.

Reſponſione ad cap. 6. Gallorum. Iuſtificatus homo, id eſt, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. Moral. cap. 31. Quia in hac vita nobis eſt diſcretio operum, erit in illa proculdubio diſcretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendat.

Lib. 7. cap. 13. Qui promerendæ vitæ mercedem bene agendo non prouidet, in conſpectu Domini vacuus apparet. Hinc de iuſtis per Pſalmiſtam dicitur. *Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos ſuos.* Ad examen quippe iudicii portantes manipulos veniunt, qui in ſemetipſis recta opera, quibus vitam mereantur, oſtendunt.

Bernardus. 1130.

Sermone 68. in Cant. Merita habere cures, habita data noueris: perniciosa paupertas, penuria meritorum.

Serm. 8. in Cant. Omne quod feceris, bonum, malumue quod quidem non facere liberum ſit, merito ad meritum deputatur.

Eandem noſtram ſententiam Concilia ſequentia manifeſtiſſime declarant.

Conſilium Arauſicanum. 440.

Can. 18. Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiat.

Hoc idem Concilium Lateranenſe Oecumenicum anno 1215. in cap. de Summa Trinitate, & Fide Catholica tenet.

Non

Non solum, inquit, virgines & continentes, verum etiam coniugatæ per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

Præterea Concilium Florentinum, & Oecumenicum in decreto de Purgatorio idem confirmat, inquiens, animas quæ nihil expiandum habent in cœlo mox recipi, Deumque videre pro meritorum diuersitate alium alio clarius atque perfectius.

Tandem S. Synodus Tridentina Sess. 6. cap. 16. & can. 26. & 32. de meritis iustorum asserens infallibiliter atque euidenter idem comprobat & confirmat, cuius verba Aduersariis sat nota esse iudico, vt citatione opus minime sit.

En pie Lector, quid in puncto de Valore operum tota veneranda antiquitas senserit: nihil enim aliud Sancti Patres vnquam protulerũt, aut typis mandatum posteritati reliquerunt, quam hoc idem, quod nos in conclusione nostra expressimus, & bene perpendas ex ipsis quosdam cum Apostolis & vixisse & conuersatos fuisse. Vnde ab iisdem in præcipuis punctis Christianæ Religionis lactatos instructos & edoctos fuisse, nobisque eandem fidei & morum doctrinam, quam à columnis Ecclesiæ receperunt, fideliter tradidisse quis dubitabit? Cùm igitur ab exordio nascentis Ecclesiæ nostra sententia semper fuerit pronunciata & decantata, hactenusq; propagata, maximum argumentum est, verissimam eam esse, partemque Aduersam Religionem veram, quemadmodum in noua & insolita, sic in falsa & execrabilia dogmata permutasse.

Vltimum Argumentum. Per sententiam Caluini & suorum abducuntur fideles à bonorum operum exercitio & frequentia: ergo est detestanda, & ad infernum vnde prodiit extirpanda. Assumptum patet ex eo primo, quia cum Aduersarii per solam fidem impios iustificari dicãt: item quemcunq; iustificatum debere esse certum de sua iustitia asserãt, necnon quod ab illa nullus semel iustificatus cadere possit, sequitur quod quisque iustificatus secure & tranquille viuere possit, nec satagere debeat vt bonis operibus illorumque frequentia manu teneat ius hæreditatis vitæ æternæ. Deest igitur cuilibet iustificato impulsiuum ad frequentiam bonorum operum. Secundo hoc idem deducitur, quia iuxta sententiam prædictorum nullum datur augmentum gloriæ. Deest ergo allectiuum iustificatis ad exercenda opera bona, quandoquidẽ sit quisq; ex iustificatis certus, quod non plus accipiat in futura vita, quanto feruentius & crebrius in Dei obsequium operatus fuerit.

cipaliter, quia per generale argumentum fundatum in antithesi eximor ab omni cura & solicitudine adhibendi glossas illis autoritatibus, quæ in sensu proprio mihi opponentur. Demonstratum enim euidenter est, quod non sunt reiiciẽdæ in sensu proprio. Ergo patentissime liquet, quod iuxta sensum proprium obiectæ, falsum concludunt.

Attamen ne in aliquo deesse videar loca nobis ab ipsis obiecta breuiter refutabo.

Primum argumentum desumitur ab omnibus locis ad Rom. & Gal. in quibus dicitur quod non iustificemur ex operibus, sed ex gratia Dei: ergo opera sunt iniusta, ergo ad vitam æternam consequendam valorẽ nõ habent, neque creditur Deum pactum iniuisse dandi vitam æternam facienti bona opera iniusta. Respondetur quod ex gratia Dei iustificamur, id est, iustitiam recipimus qua sumus iusti (vt declaratum habeo) quare negatur prima consequentia.

Secundum argumentum desumitur ab authoritatibus illis quæ vitam æternam dari ex misericordia & gratia Dei dicunt: Fateor quidem dari ex diuina misericordia, sed non ex sola misericordia, pendet enim ex nostro libero arbitrio nos ad vitam æternam conformari (vt demonstratum est.) Scriptum est enim qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Et Adam cecidit, & Angeli ceciderunt, vnde opera bona necessario requiruntur & valorem habent ius ad vitam æternã & augmentum illius, conseruandi, ex gratia tamen diuina. Si autem ex quibusdam locis deduci videatur quod humana salus mere ex gratia habeatur, responsio plana est quod loquantur de illa salute quæ infirmitati impietatis & peccati opponitur, quæ est iustitia qua impius iustificatur, quod ex eo sibi illucescet, quia referunt se prędicta loca ad salutem qua sumus salui in hac vita degentes. *Matth. 10.*

Tertio opponit Caluinus locum Isaiæ supra citatum: Omnes sitientes venite ad aquas, &c. Respondetur quod dato & non concesso quod nomine vini & lactis intelligatur vita æterna, nihil contra nos: Primo quia loquitur de non addictis ad vitam æternam, isti autem sunt nõ iustificati & tales absq; operum valore accipiunt gratiam & iustitiam quã habent ius ad vitam æternam. Secundo dico quod iugulat seipsum Caluinus, nõ enim dicit Spiritus Sanctus: accipite vinum & lac sed emite, emere autem absque commutatione intelligi non potest, cum autem ex alia parte addit quod *absque commutatione* superest manifeste, quod mens Spiritus Sancti reducenda sit ad medium: tale nempe quod interueniat commutatio, in qua nos damus operum substantiam, sed solus Deus dat eis valorem.

 Quar-

Quartum argumentum quod fundat Caluinus in multis autoritatibus est quod vita æterna hæreditatis titulo nobis detur, ergo non ex operibus. Respondetur quod vna solutio omnibus satisfacit, dicit enim Paulus: Si tamen compatimur, vt conglorificemur. Ex quibus liquet quod conditio requisita ad consequendam vitam æternam sunt bona opera, expletio autem conditionis ad recipiendum illud quod datur sub conditione certum est quod habeat valorem. Secundo dicitur, quod non concluditur nisi de primo gradu vitæ æternæ non de augmento illius.

Vltimum Argumentum est quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, ergo secunda conclusio falsa est. Respondetur quod loquitur de operibus & pendet à libero arbitrio non vt procedunt à gratia Spiritus S. de quibus satis dictum in præcedentibus articulis.

E P I L O G V S.


ET hic tandem finis huius disputationis licet prolixæ, alicuius tamen vt spero vtilitatis, cũ ea clare breuiter & distincte declaret quæ hoc tẽpore maxime contrauertuntur, & scitu summe necessaria sunt. Quapropter oro & obtestor omnes & singulos aduersæ partis Lectores, vt quemadmodum bono affectu & sincero animo à me est conscripta, eodem affectu & intentione ab ipsis euoluatur & perlegatur: Fieri enim haud potest quin ipsis lux aliqua Catholicæ Ecclesiæ oriatur & effulgeat, quæ paulatim incrementum sumens ad multorum aliorum illuminationem in plurimum iuuet. Sin vero hisce demonstrationibus acquiescere nolint saltem quid obstet quo minus id fiat ea qua vsus sum forma procedendi significent & respondeant, vt huic malo succurratur. Quod autem obstare posset, aliud non video esse præter quam quod sibi persuadeant allatorum pro nostra sententia argumentorum solutionem facilem iudicent, tum quod ipsi aliis quibusdam rationibus quæ maioris ponderis & roboris ab ipsis habentur suam sententiam stabilire queant, quod si hæc sunt obstacula quæ ponunt quo minus hæ nostræ argumentationes suum sortiantur effectum; rationes, vt à me perscribant obsecro. Confido autem Deo volente me illis plenam daturum satisfactionem, nec in hoc DD. Ministros negligentes futuros, qui veritatis indagandæ cupidissimi sunt spero quod singulis meis argumentis pariter respondere non grauentur.

Tandem quæ hic scripta sunt sicut cætera à me dicta & de cursu vitæ meæ dicenda vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, vicarii scilicet Christi Romani Pontificis pedibus subiecta sunto.

ADVERTE BENEVOLE LECTOR PLVRA MENDA HOC IN LIBELLO REPERIRI, EX QVIBVS ILLA SOLVM QVÆ

sensui obsunt selegimus hic adnotanda reliqua vero discretioni tuæ committimus emendanda, quæ breui (Deo fauente) vna cum aliis controuersiis correctius in lucem sunt proditura.

Pagina 39. linea 21. pro antea. lege contra pa. 104. lin. 1. vbi confirmandum. leg. confirmandum. pag. 110. lin. 6. vbi aliquo lege antiquo. pag. 116. lin. 23. vbi malum. lege modum. & lin. 32. vbi cum lege eum. pag. 132. lin. 1. vbi eo. leg. in. pag. 139. vbi neruorum. leg. nauorum pag. 152. lin. 27. vbi post vel. leg. quia. pag. 155. lin. 5. vbi potuerit. leg. voluerit. pag. 170. lin. 2. vbi dicunt. leg. dicant. & lin. 31. vbi necessario leg. necessaria pag. 172. lin. 8. vbi cum metuente more lege cum metu & tremore. & lin. 27. vbi non facientes. leg. facientes non pag. 191. lin. 2. vbi moremur lege monemur pag. 190. lin. 29. vbi ille. leg. alli. pag. 201. lin. 5. vbi post creatura leg. non possit apud & lin. 30. vbi litigandis. leg. litigantis & lin. 31. vbi liberandæ. leg. libranda. huncque frequentem offendes errorem. pag. 207. nota errorem inuersa clausula vbi enim lin. 10. legitur asserimus enim, vsque ad finem periodi, debet sequi post finem paragraphi pag. 212. lin. 1 redundat, non tantum.



Digitized by Google

Digitized by Google

MA
LEGATOF
co

Digitized by Google

